IANI PELVSII
CROTONIATAE
AD PROCERES CHRIstianos cohortatio.








NEAPOLI.
Apud Io. de Boy. 1567.





IANVS PELVSIVS CROTONIATA
in detractores.



THeones, Criticiq; Zoiliq;
Qua (malum) ratione, quaue causa
Libros carpitis hos, & hos, & illos?
Quos Phœbi auxilio, & nouem sororum
Auctor optimus hic, & ille fecit?
Putatis temerarij licere
Vobis rodere sic bonos libellos?
Si meos lacerabitis labores,
Non impune feretis: hoc, & illud
Vestrum flagitium, improbumq; factum
Sirletus decus omnium virorum,
Quos Calabria nostra procreauit,
Vlciscetur: ab vrbibus Latinis
Vos ad Barbariæ fugabit antrum.
Hoc si supplicium vltione tanta
Vobis esse videbitur pusillum:
Vos Phœbus dabit inferas ad oras,
Vnde iuncta sororibus Megæra
Nulli dat Superas redire ad auras.

Idem ad Lectorem.

SIc te Tonantis orta Pallas vertice
Benigne lector adiuuet,
Hoc in libello si quid offendes meo,
Aures quod offendat tuas;

Ne viperino dente, ne veru impete,
  Sed optimam in partem accipe:
Errata vel nota, aut (bonum vt decet virum)
  Verbis amicis me mone:
Vt viuus emendem. malignus negligis?
  Pungisq; pertinax magis?
Eedem manere te vices ipsum queant,
  Si quidpiam vnquam scripseris,
Supplex rogabo cœlites. tantum nefas
  Nulla expiatur victima.

FRANCISCVS CHRYSARIVS IN
Iani Pelusii Crotoniatæ orationem pro Melita

QVid cessas? quid non sitientes influis aurès?
  A Momo nunquid siue Theone times?
Subsidio Regis Melite seruata Philippi,
  Posthac horrebit Parthica tela nihil.
Tu quoque pro Melite numerosa vagaberis orbe
  Concio. Sirleti tuta patrocinio.

FVLVIVS PELVSIVS CROTO-
niata Ad Ianum Pelusium Patruum.

I Procul, procul i, calumniator
Habes ordine qui vno & hunc, & illum:
An putas (mihi quod nimis molestum est)

Scriptorem stupidumq; , plumbeumq;
Hic, vt in reliquis libris videre ?
Fallit te ratio, a viaq; aberras,
Hic Pelusius est Crotoniata,
Qui vt est carmine proximus Catullo,
Sic vestigia Tullij sequutus,
Multos post se alios satis reliquit
Longo interstitio viros. Apollo
Illum perdocuit chely: eleganteis
Artes Mercurius dedit loquendi,
Vt Græcos foret inter & Latinos
Rhetor optimus, optimusq; vates.
In suis bona sessitat labellis
Pitho: & carminibus potest mouere
Thracum pectora dura barbarorum,
Austrum sistere, & Aesarem morari.
Fortunate quater, quater beate,
Iane patrue, docta per virorum
Viuus ora volabis hic, & illic,
Europæ, atque Asiæ, Africæq; gentes
Dum noster fluet in salum Neæthus,
Euentu nimis editum secundo
Legent aureolum tuum libellum.

IOANNES SANCIVS IVNIOR
ad Ianum Pelusium præceptorem suum.

Dum poma Autumnus, dũ flores tempora veris,
Dumq́; æstas æstus, frigus habebit hyems:
Hæc tua Pelusi doctißime concio viuet:
Aeternumq́; ibit docta per ora virûm.

GVLIELMO SIRLETO
CARDIN. AMPLISS.
Ianus Pelusius Crotoniata, S. P. D.



VM duos abhinc annos Melita satis lato ab Sicilia freto disiuncta, in maximũ periculum, ac ad extremum penè discrimen esset adducta; ne a barbaris Scythis, qui eã terra, mariq; vehementissimè oppugnabant, occuparetur: magno cum animi dolore hanc oratiunculam conscripsi. Qua pro ingenioli mei viribus Proceres Christianos hortabar, hominib. miserrimo difficillimoq; tempore laborantibus succurrerent. Eam non habui, habiturus alioqui, si principes ad quos potissimum mea spectabat oratio, in vnum locum, vnde omnes me dicentem exaudirent, coijssent. Sed quã do id neque fieri potuit, neque (vt video) fieri potest, & ego iampridem tibi sapientissimo & humanissimo Cardinali aliquid de studiorum meorum officina depromere cogitaueram: volui vt in tuo nomine tanquã meę in te obseruãtiæ testimoni

um, animiq; certissimum pignus appareret in lucem. Sed cum nihil afferat, præter insolens, aut ineptum ad illorum teretes & religiosas aures, qui aut dici se desiderant Ciceronianos, aut ita Ciceronianè dicunt, vt ne ipse quidem Cicero eloquentiæ deus magis Ciceronianè dicat. Summopere mihi verendum est, ne a Momis qui nihil ipsi edentes, aliorum opera carpunt, vltraq; crepidam semper arguunt, non miniata cerula, sed atro carbone pluribus locis notetur. Confugit igitur ad te, tanquam ad tutissimum asylum: non est digna (non inficior) quæ in apertum proferatur, quasi aut illud simulachrum Iouis Olympij, aut Coæ Veneris statua. Quid enim venustatis, & leporis habere possunt ea, quæ succisiuis horis scribuntur ab homine occupatissimo, & in rhetorices & philosophiæ studijs, quæ efficiunt quem quęrit Brutus eloquentem, parum versato? Per eruditionem, & humanitatem tuam te etiã atque etiam obsecro, & obtestor, sublato timore, quo miser angor, effice nequid periculi ab huiusmodi monstris hominum mihi creetur. Quod si à te factũ esse sẽsero: reliqui ingenij mei partus qui nunc præ metu Criticorum, domi in scrinijs delitescunt quamprimum tuo nomini nuncupabũtur. Cui enim melius nuncupari debent quàm tibi? qui Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ

es scientissimus, tuaq; virtute ad eum dignitatis gradum ascenderis, unde tua singulari doctrina, & vitæ sanctitate, non ficta illa quidem, sed tecum nata, atque educata, veræ religioni plurimum prodesse potes. Speramus si tibi vita diuturnior data fuerit, Rempub. Christianam, quæ nunc Pij Quinti Pontificis Maximi incredibili prouidentia sarcta, tectaq; regitur; in pristinum statum vindicandam: & vulnera quæ superiorib. temporib. accepit, ita prorsus sanatum iri, vt obducta iam cicatrice, nemo amplius illa possit refricare. Interea mihi qui hoc leuidensæ munusculo me totum tibi in clientelam, & fidem trado, vel viuenti, vel mortuo, aliquid beneuolentiæ tuæ in omnes literarum studiosos ingenuæ, ac penè singularis, imperti. Vale. & optimo viro, & homini doctissimo Dominico Pizimentio meis verbis salutem dicito plurimam. Neapoli pridie nonas Iulij.

M D LXVII.

Ad eundem.

SIrlete nostri magna secli gloria,
Decusq; dulce præsulum,
Quotquot tiara rubra crineis contegit,
Aliisq; in annis conteget,
Nostros labores quos fauente Apolline
Conscripsimus, cum barbari
Scythæ mari terraq; cunctis machinis
Melitam oppugnabant insulam,
Manu benigna sume, fronte perlege
Læta: dicamus hos tibi,
Non vt decoris quidpiam rebus tuis
Addatur: hoc enim foret,
Vt siquis vnquam vasculo vellet breui
Fontem profundum claudere:
Sed vt clientis concio incompta hæc tui
Tuo fauore comptior
Exiret in lucem: ac procacium virûm
Procacitatem temneret.

Ad Gulielmum Sirletum Cardinalẽ amplissimũ Ianus Pelusius Crotoniata.

SIrlete magnum Græciæ magnæ decus,
Si Gordij, vel Attali
Auro valerem prorogare terminos
Vitæ fluentis, omnibus

Rebus relictis, aggerando strenuus
Auro vsque & vsque incumberem:
Vt quando Mors veniret implacabilis,
Abiret, & me linqueret
Auro recepto. Sin potest viuentium
(Vt ipsa res clarè indicat)
Vitare nullus Mortis vncos ferreos
Auro: quid aurum me iuuat?
Ergo ipse Graijs, & Latinis litteris
Vacabo noctes & dies,
Quæ solæ auaras Ditis eludunt manus:
Viuumq; dant nomen viris.
Hoc prouidus vel ipsa ab vsque infantia
Præcaueras, nec spes tua
Te fallet vnquam: nam futura posteris
Sacrabit ætas te: leget
Quæ scribis orbis totus: ac amabili
Perfunctus æuo Nestoris
Sedes beatas ibis ad cœli pius,
Ad Sempiterna gaudia.

Ioannes Baptista Arcucius Neap.
ad Ianum Pelusium.

CVr non in lucem profers Melitensia bella
Pelusi Aonij gloria summa chori?
Ne dubita: nanq. inuito tua carmina Momo
Egregijs possunt iure placere viris.

IANI PELVSII CROTOniatæ ad Porceres Christianos *Cohortatio.*



I ea essem sapientia, ea dicendi vi, atq; auctoritate Proceres Christiani, qua olim fuisse fertur quicunque ille fuit, qui sola oratione in agris homines passim bestiarum more vagantes, in vnum locum congregauit, & ab agresti, feraq; vita, ad ciuilem & humanum cultum auocauit: ea quæ vellem, quæque maximè optarem, regibus Christianisq; principibus facilè persuaderem. Sed cum eum me esse intelligam, qui neque ingenio valeam, neque eloquentia, neque doctrina, & quod ad hanc rem plurimum pertinere arbitror, sim dicendi imperitus, & concionandi exercitatione minimè assuefactus, quã multos fore putatis qui meũ factũ reprehẽdant? quàm multos qui mei cõsilij rationem improbent? quã multos qui me audaciç arguant? quàm multos qui plenum temeritatis fateantur? Cum tamen quæ res agitur, sit grauis, necessaria, maximi momenti, periculo

autem & calamitate Sanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ perniciosißima: id quod facio, libenter facio. Non enim nunc tractamus vt aculeata sophismata, inanes argutiæ, inutiles quęstiones, leuiaq; argumenta in disputationem inducantur. Sed hortor multos dynastas, multos reges, multas ciuitates, populum Christianum totum, vt pręfecto, & militibus diui Ioannis Hierosolymitani terra mariq; obsessis, desperatisq; ob omnibus, opem auxiliumq; ferant. Quod vt studiosissimè facerem, duæ me res vehementißimè coegerunt. Vna vt nostræ religionis amatorem, veręq; pietatis cultorem me esse profiterer, altera vt eos potissimum ad hanc adhortandi prouinciam suscipiendam inuitarem, ac excitarem potius, qui magna prudētia, vsu, & tractatione dicendi præditi, auditores quò volunt rapiunt: & non in aliorum sententiam manibus aut pedibus discedere, sed alios ad suam nullo negotio perducere consueuerunt. Quę cum ita sint, hanc veniam peto, vobis nec inutilem, nec iniucundam, nobis valdè aptam, & accommodatam, vt mihi de rę iam proposita dicenti benignas, attentas, & patientes (vt facitis) aures præbeatis. Atque vt inde oratio mea proficiscatur, exordiumq; capiat, vnde hæc omnis causa pendet. Solymanus Rex Asiæ potentißimus qui vt lingua, religione, fide, & le-

gibus,

gibus, à nobis sic immanitate, perfidia, armis, et odijs dissidet, inexplebili sui proferendi imperij cupiditate inflammatus, & vt ex instituto Othomanicę prauitatis immanibus suæ gentis latrocinijs viam aperiret, aditumq; sibi ad Italiam patefaceret. Pialim et Mustapham viros natura feroces, maximè strenuos, & militari industria claros, alterum classi, alterum terrestribus copijs præfecit: ac vtrique more patrio bene precatus, iussit portu soluere. Qui prosperam nauigandi nacti tempestatem, Acarnaniæ ac Epiri littora legentes, Corcyram, insulas Diomedeas, Lacinium, & Epizephyrium promontoria secundo vento prætervecti: breui in Melitam peruenere. In qua nunc Burgum aptissimam ad bellum contra nos faciendum, instruendumq; vrbem noctes & dies graui obsidione vrgent, obsident socios & amicos nostros, oppugnant prefectum diui Ioannis Hierosolymitani, agros prædantur, pagos exurunt, hostes teterrimi Melitensibus omnibus seruitutem, tormenta, vincula, cruces, cædes, omneisq; calamitates, & miserias minitantur. Quod rei ipsius caput & summa sit, videtis: quid agendum sit breuiter considerate. Subsidiū obsessis quādo eorū fortuna afflicta, perditaq; in maximū periculū ac ad extremū penè discrimē adducta est: sine mora, celeriterq; summitere necessitas ipsa iubet, cogit,

imperatq; . Quo modo, quaue ratione, et via sum mitti possit: nō meū munus, meæq; partes sunt, sed eorū, qui sciētia rei militaris, vsuq; bellādi p̄stant. Qui quidē cū vel p̄ certissimos exploratores, vel fidos trāsfugas, captiuosq; cognoscūt, vel à socijs, et amicis, literis et nūcijs certiores fiunt, vel ipsi potius cū ad rē præsentē ventū est, circunspiciunt quo in loco consederint hostes, quæ habeāt amica, quæ inimica, quæue occasio cōmittendæ pugnę detur, sua cōsilia, et rationes facilè explicāt, atque expediunt. Simul & illud a me alienū puto, quo tēpore, qua parte insulę subsidiarij milites exponēdi, quāto copiarū numero opus sit, vnde his cōmeatus suppeditādus, ceteræq; res ad bellū necessarię subministrādę, noctu an interdiu, per vim an per dolū aggrediēdus sit hostis. Hæc & multa alia hmōi, si nūc pro captu mentis & iudicij mei ratione p̄docerē, fieri poßit, vt dū prodesse cuperē obsim. Rerū enim status quibus cōsilia omnia prudētię et fidelitatis plena accōmodari, adhiberiq; debent, nunquā in vno eodēq; loco cōsistūt: sed aßiduo semper motu fluunt, et huc atque illuc continenter feruntur. Ergo hoc in magno negotio, memoriaq; digno, viris ab ineunte ætate in studijs bellicis non parua cum laude versatis, parendum est. Qui cum e re nata consilium

capiunt, temporí ſcænæq; ſeruiunt, quidquid gerendum ſuſcipiunt, ſapienter adminiſtrant, ad exitumque optatiſſimum perducunt. Ego quantũ copia orationis quam intelligo quàm in me ſit exigua, efficere potero, Chriſtianorum omnium mentes ad obſeſsis auxilia mittenda, inflammatus ipſe ad hoc & ardens, incendere & inflammare nõ deſiſtam. Quod quidem ſi minus ex ſententia ſuccesserit, minusq; aſſequi potero, hac vna re me facilè consolabor: quod syncerè & audacter mea explicata ſententia, quid in illos animi haberem declarauerim, & per me non ſteterit, quo minus quid in his ſummis de insula Melita rebus fieri deberet, oſtenderim. Eia agite Chriſtiani Proceres vt quisque maximè poteſt, ita maximè adiuuet. Diuites pecunia, ſapientes conſilio, viri graues auctoritate, fortes viribus, eloquentes oratione, pij et religioſi precibus, lacrymis, ieiunijs: omnes per deum vna mente, vno animo, vno conſensu, vno ſtudio, vna voce, ad hanc rem maximi momenti & ponderis incumbite: & cum animis veſtris cogitate, non vobis ſolum, ſed alijs quoque genitos eſſe: ac vos in ijs quæ ad communem vtilitatem ſalutemq; ſpectant, vigilare, & pro virili veſtra laborare oportere. Negotium eiusmodi eſt, quod maximè omnium animos excitare, atque inflammare deberet. In quo agitur populi

Chriſtiani

Christiani gloria, quæ nobis a maioribus nostris de manu (vt aiunt) in manum summa in re militari præsertim tradita est. Agitur vita equitum Hierosolymitanæ religionis, pro qua nullum laborem subterfugere, omnia pericula adire, multa, magna, grauia, acerba, ac diuturna bella gerere deberetis. Agitur res multorum ciuium, multorum militum in vrbis, atque arcium præsidio locatorum, quibus a vobis consulendum est. Agitur salus totius Melitæ, quæ quidem insula loco, natura, & situ munitissima, pagorum frequentia, ædificiorum pulchritudine, viris præstantibus, maximeq; ad negotium Martis accommodatis, & agri fertilitate in primis nobilis, si in Solymani teterrimi Tyranni potestatem (quod omen auertat deus) redacta fuerit, & opere & munitionibus, rebusq; necessarijs ab eodem egregiè munita, nullis postea opibus recipi, nullaq; vi ab illius manibus in totius Christianæ Reipub. perniciem extorqueri posse intelligetis. Etenim cum hinc in Siciliam, in Brutios, magnam Græciam, Salentinos, Calabriam, Apuliam, & Samnium breuis admodum sit nauigatio, omnes hæ regiones piratarum iniurijs atque impressionibus maxime patebunt: quasi pontem quendā sibi facient, per quem transire in has terras pro libidine possint. Nullus in

totto littoreo tractu Christianæ ditionis locus, nullus portus, nullum oppidum, nullum municipium, nulla ciuitas, nulla colonia tam magnum, forte, ac firmum præsidium habebit, tam diligentibus custodijs vigilijsq; munita erit, vt se a prædonum vi & impetu tueatur atque defendat. His ego nefarijs ac facinorosis piratis cum ingenti negotiatorum nostrorum clade & iactura, in mari Supero ac Infero graßātibus nihil omnino clausū, nihil prorsus tutū fore video: peruadēt nō quò tēpesta tum aut ventorum vis feret: sed quocunque aut effrenatæ audaciæ, aut furiosæ cupiditatis, aut nefariæ libidinis ardor & furor rapiet: aut certe speculatorijs myoparonibus quibus abundant, patebit accessus. Stationes, promontoria, sinus, littora, portus, vrbeisq; maritimas omnes inuadent, capient, diripient, incedent, omniq; crudelitatis & ignominiæ genere afficient. Quotidie ad vos literæ perferentur, vestrorum sociorum atque amicorum pagos & vicos exuri: agros vastari: armenta gregesq; abigi. Omnis ordinis mulieres virosq; ad eum diem male seruatos indignis modis accipient, atque illiberalissimè tractabunt: infantes parietibus illident, virgines aut in sinu parentum ingulabunt, aut ante pedes constuprabunt Quod pectus tam ferreum? quod cor tam lapideum? quæ mens tam adamantina vsquam

reperiri potest, quam tam dira & feralis rerum facies, in qua ne Cyclopes quidem & Læstrigones immanißimi antropophagi lacrymas tenerent, ad misericordiam non adducat? hoc spectaculum tam horrificum ac luctuosum non moueat? hæc calamitas tam exitiosa atque horribilis flere ac lamentari non cogat? Memoria patrum nostrorum vt ego sæpe Crotone à senioribus audiui, occupata Hydrunte oppido maritimo Calabriæ à Mahumete Turcarum Imperatore, admodum graui, & periculoso bello Italia in campis Salentinis exarsit: vt non modo Neapolitanum regnũ illi regioni vicinum, verum etiam ipsum Romanæ vrbis Imperium ab ea remotißimum veniret in periculum, ne ab Acomate illius præfecto occuparetur. Sed non sine magni dei voluntate, immatura morte Mahumetes ereptus, vtrunque tanto metu liberauit. Tempestate nostra Dragutes archipirata multis editis facinoribus clarus, & ad nominis orbisq; Christiani perniciem, pestemq; natus, quod Tripolim, Cercinam, Lotophagitim, & Meningem, quam insulam vul go Gerbim vocant, & parua alia munita loca in sua potestate habeat, quò se cum res exigit, tempusq; postulat; tutò iure suo recipit: totum hoc mare quod Europã ab Africa diuidit, impune ex currit, diripit, prædatur, atque ita mercatoribus,

ac nauiculatoribus, nauigijs prædatorijs infestum reddit; vt pauci admodum iam nauigent, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committant. Regis Philippi classis & si permagna, & satis instructa est, et ad pertinaciter insequendum paratissima, Garsiaq; Toletus eius præfectus rei naualis peritissimus omnem adhibeat curam, & diligentiam, vt illum in sua manu habeat, id tamen nunquam consequi potuit, nec vt video consequetur. Prædo ille lynceus, vafer, callidus, veterator, ingenio validus, manu promptus, astu vero, & malitia, vel ipso antiquo serpente superior, adeo singulos illius motus, progressusq; per exploratores, quos in varijs locis disponit, obseruat explorat, & perscrutatur, vt maximè diuersus semper ab eo abeat: suoq; arbitratu miseros nautas dispoliet, dispoliatos aut grandi pecunia redimendos proponat: aut ad impellendos remos, aliudq; vile seruitium destinet: prædaq; omnis generis onustus ad Tripolim tanquam ad asylum tutissimum se recipiat. Haidinus Smyrnæus, Salecus Saba, Magalis, Assanes, Celebinus, & Solymanus insignes prædones fuerunt, eorumq; virtus maximè clara, ac celebris facta est, cum apud Colubrariam Balearici maris insulam, Portundum impigro, atque acri ingenio Hispanicæ classis præfectum, cæsis propugnatoribus, crudelis

simè trucidarunt: & Ioannem Cantabrum, Ioannem Ciuerium, Ioannem Cordubam, & Mathæum Sancium nobilißimos trierarchos expugnatis illorum triremibus, captiuos in Iuliam Cesariam, ad Ariadenum Aenobarbum duxere. Sinas cognomento Iudæus, Carra Mahumetes, Caradinus, Agis, Morus Alexandrinus, Alicola Corsus, et Alicotus Cilix piratarũ audacissimi habiti sunt, magnumq; nomen, & diuitias excursionibus maritimis sibi peperere. Curtugolus tantæ auctoritatis archipirata fuit, vt sola oratione Solymanum Byzantiorum tyrannum ad bellum Rhodijs decernendum impulerit, sed hi omnes si veritate volumus inniti, & rectè (vt bonos decet iudices) iudicare, nihil ad Dragutem qui omnium maximus fuit, & haberi potest, duobus tantum exceptis Horuccio & Ariadeno fratribus, qui in insula Lesbo, in vrbe Mitylene, patre Græco sed Mahumetis sacra sequuto nati, Fortunæ beneficio ab vna prædatoria bireme ad regium fastigium irrepsere, & mirabilia atque incredibilia facinora effecere. Sed labor longius, ad Dragutem de quo iam agere institueram, reuertar. Qui nisi superioribus annis prudentia, & singulari Ioãnis Vegę Sicilię proregis ingenio, uirtute, et industria fuisset eiectus Aphrodisio, quod oppidũ antea ab Azeno Tunetanorũ rege, postea ab Asa Gerbino

Turca archipirata iniusto imperio ac impotenti dominatu direptum, ac penè deletum, ille oppidanorum dissensione, & negligentia cæperat & sine dubio totius Africæ imperium hodie obtineret. Si singula huiusce facinorosi prædonis facinora, sceleraq; vellem referre: tempus, vox, & latera me deficerent. Nam si portus nostros direptos dolemus, diripuit Dragutes. Si naueis captas, præcisas, incensasq; desideramus: capit, præcidit, inceditq; Dragutes. Si pecorum greges abactos conquerimur: abegit Dragutes. Si oram maritimã multos annos vexatã, depopulatamq; deploramus: vexauit, depopulatusq; est Dragutes. Si agros vastatos incendio ingemiscimus: vastauit Dragutes. Si nos nullo non genere crudelitatis, atque calamitatis affectos, obrutosq; neque sine dolore recordamur; neque sine gemitu recensemus: affecit, obruitq; Dragutes. Si aratoribus totius anni fructus interceptos angimur intercepit Dragutes. Si negotiatores, nauiculatoresq; in seruitutẽ raptos, aut crudelissimè trucidatos indignamur: rapuit, trucidauitq; Dragutes. Si vxores viris, viros vxoribus, fratres sororibus, sorores fratribus, parentes liberis, liberos parẽtibus orbatos ægreferimus: orbauit Dragutes. Denique vt sũmatim, et nõ particulatim omnia perstringã: vniuersas miserias, et calamitates quas superiori tẽ

pore perpeſſi ſumus:huic vni piratarũ principi acceptas referre poſſumus. Dij parcãt manibus Iannettini Auriæ,qui cũ tam truculentã, & peſtiferam belluam cæpiſſet,et incluſam, conſtrictamq; haberet:in noſtrũ exitium,atque perniciem pecunia dimiſit,ac liberam ad ſuos abire ſiuit. Non potuit eam magne deus,aut palo transfigere, aut in crucem agere aut feris vorandam obijcere,aut cute denudare,aut culeo inſutam (quæ pœna eſt parricidarum) in ardentem fornacẽ, aut aquam profluentem proijcere, aut aliquo duriore tormento excruciatã exanimare. Sed reſpirate q̃ſo Proceres Chriſtiani mecũ aliquãtulũ, et ea q̃ deinceps dicã,eadẽ benignitate qua ſoletis,attendite. Si homo barbarus obſcuro loco natus, seruus olim noſter p cædes,et rapinas, ad magnas opes euectꝰ, tot malis nos grauiſſimè affligit,atq̃ euertit:Quid futurũ putatis,si Solymanus tyrannorũ maximꝰ, et omniũ poſt hominũ memoriã crudeliſſimꝰ Melitã (quod abſit)suo imperio adiũxerit? Mihi credite,res eò adducet, vt nautę neq̃ sũma hyeme trãſmittãt, neq̃ è portu egredi audeãt,et nos vix ĩ abditiſſimis locis,q̃ ĩ intima noſtra regione ſita sũt, tuti ſimꝰ. Cũ itaq̃ latè ferant turcarũ arma, et q̃d minentũ,& quantũ ceruicibus noſtris immineãt intelligatis:quẽ animũ ſuſciper,quas vires intẽdere,et quã belli molẽ,et apparatũ parare, atq; in-

ſtruere nos oporteat facilè cognoſcitis. Morã in talib. hominib. liberandis interponere ſine ſcelere nõ poteſtis. Hoc bellũ indiget celeritatis. Succurrendum eſt militib. diui Ioannis, qui nõ iam mortem, quam vilem habent, non ærumnas, quas æquo animo patiuntur, non vulnera quæ pugnando accipiunt, tantummodo barbarorum imperiũ, cruciatus corporis, ſuperbos victoris vultus, & contumelias deprecantur. Inſulæ Melitæ quæ nõ magis Melitenſium, quàm veſtra eſt, conſulite: eam ex manibus prædonum dum licet eripite: ne cum velitis, non liceat. Per vos, per liberos, per parentes veſtros vos oro, obſecro, & obteſtor, hominibus miſerrimo, & difficillimo tempore laborantib. omni veſtra ope, & ratione ſubuenite: ite obuiam crudelitati: nolite pati veſtros ſocios, & amicos fideliſſimos in poteſtatem hoſtium venire: nolite pati fratres noſtros, (fratres enim noſtri ſunt, qui eundem Chriſtum humani generis redemptorem, quem nos colunt & venerantur: qui eandem religionem, ſacrorum communionem, ſanctam Romanam & Catholicam eccleſiam fouent, & amplexantur:) fruſtrà à vobis opem implorare: & ab hoſtib. Chriſtiano nomini infeſtiſſimis indigniſſimè vexari. Nihil porrò ad reges, & magnos viros magis pertinet, quã opem ferre ſupplicibus: liberare obſeſſos peri-

culis: afflictos & iacentes excitare. Si nihil ad im petrandum causæ haberent, præter miserandam fortunam, quod paulo ante ocio, pace, & cunctarum rerum copia florentes, nunc inter incudem, & malleum, cooperti miserijs, tot tantisque difficultatibus affecti, auxilium à vobis efflagitant: tamen esset maiestatis vestrę prohibere iniuriam: repellere vim: barbaricarũq; mentiũ arrogantiã ferro contundere: neque pati Scytharum imperiũ per scelus crescere, eorumq; fines tam latè propagari. Non contenti Asiæ limitibus, quam ferè totam possident, magnam Europæ partem vi, atque armis subegêre: nec adhuc tam ingenti, opimaq; præda expleti, ac saturi, nos quotidie vrgẽt, instant, premunt, insectantur. Quid enim aliud toto anno auditur, quàm prædones Turcas quacũque nauigant, strages edere, atque calamitates nostris ciuitatibus inferre? Non illos procellæ, nõ Syrtes, non vada, non Symplegades, non Scylla, & Charibdis, duo scopuli in freto Siculo nautis infestissimi vnquam retardant, quo minus vel summa hyeme, cum nauigatiónes tempestatib. intercluduntur, atque conquiescunt, vastent ea loca, in quæ incurrunt: multos mortales cædunt, multos in seruitutem rapiunt, & longè melius mehercule cum his agitur, qui vita statim priuantur, quàm qui capti superbissimorum domi-

norũ contumelijs, et ludibrijs expositi nõ unã mortẽ in die, sed centũ in hora perpetũtur: illis ſerũt, illis metũt, illis ſuis humeris quidquid imponitur, vehunt. Siquis minus dicto audiens eſt, aut laborẽ peroſus, imperiũ quoquo modo indignatur, nõ ad circum agendas molas, non ad lapidicinas, nõ ad compedes, & ergaſtula verberibus cæſus conijcitur: sed ad palos, ad eculeos, ad cruces, ad vncos, & ad alia his duriora tormenta, atque ſæuitiæ exempla ſublimis rapitur. Hoc illis ſummæ laudi eſt, vobis maximæ vituperationi: Qui enim non defendit, nec obſiſtit (ſi poteſt) iniuriæ, (vt inquit Cicero) tam eſt in vitio, quàm idem ille qui facit, aut patriam, aut parentes deſerit. Quotidie auditis illos aliquam munitiſſimam arcem in inſulis occupare: aut præclaram vrbem in continente nobis intercipere: & tamen tanquam hoc nihil ad vos pertineat, otiosè ſedetis domi, ac potius mutuis diſcordijs, & ſimultatibus inter vos digladiamini. Quando obſecro vos, quando reſipiſcetis? quando ferrum ferro opponentes, concordibus armis, animiſq; tyranno tot partis victorijs exultãti occurretis? An expectatis vt Romæ bellum inferat? quam vrbem immortalis & omnipotẽs Deus neglecta Iudæa, vbi natus diuinitatis exempla edidit, potiſſimum delegit, in qua ſummus Põtifex ſuam ſanctam eccleſiam regeret, & Rẽpub.

Christianam administraret. Alba olim & Belgradum oppida ad confluentes Sauum atque Danubium sita, hostium impetum retardabant. Hæc duo tutissima munimenta non multos abhinc annos suis opib. Turcæ adiecêre. Eadem felicitate, & successu Budam, Pæstum, Taurinum vrbes munitissimas, & totam inferiorem Pannoniam in potestatem suam redegêre: aditusq; sibi in Germaniam patefactus est. Rhodus etiam ipsa Christianæ defensionis mucro, & specula quinto post mense quàm validissimis operibus oppugnari cœpta est, Philippo Vilerio Liladamo Hierosolymitanæ militiæ magno magistro certa pactione se, oppidanos, vrbem, & insulam dedente, in illorũ ius, ditionemq; concessit. Tantis victorijs elati, ab perpetuo rerum secundarum cursu audaciores facti, cum infinita barbarorum multitudine in Melitam ad eam subigendam, transiere. Cui ægræ, & labanti iam nisi salutare aliquod remedium adhibebitis, eamq; vestris opibus fulcietis a equitibus diuo Ioanni consecratis cædem, Melitensibus seruitutem; eorũ liberis, et coniugibus cõtumelias, agris vastitatẽ, oppidis excidiũ, pagis et villis depopulationẽ paratã esse video. In fanis religiosissimis deturbato inde Christi Dei filij, & humani gñris seruatoris cultu, Mahumeti homini scelerATissimo, suę gẽtis more ĩmolabũt. Quid? nõ

intelligitis si illa (quod deus prohibeat) ruina col labetur : vos (quoniam salus vestra cum illius sa lute coniuncta est) posthac nullos fore ? nulloq; pacto vestrum imperium incolume esse posse ? ruere, & perire cum illa mauultis : quàm communi ope, & consensu communem libertatem tue ri ? sociorum vestrorum iniurias vlcisci ? & nobilis, sacræq; religionis milites ex imminentis mortis periculo eripere ? Magno hæc dico cum animi mei dolore : Amaui ego diui Ioannis equites omni medius fidius tempore plurimum : & amo nunc vt cum maximè : eosq; omni regno, im perio, laude, & honore dignißimos iudico : sem per enim contra importunissimos piratas classem deduxere, nullumq; vnquam pro religione Christiana, & libertate communi laborem suscipere, aut periculum adire recusarunt. Quondam cum florerent omnib. copijs, & in Iudæa cum in primis beati numerarentur, bellum continenter cum hostb. gerebant, sæpe parua manu ingenteis illorum copias collatis viribus, profligauere: & glo riosas deo bene iuuante, victorias cõsequuti sunt. Quandiu Rhodum opportunam ad bellum cum barbaris gerendum insulam tenuerunt, tantum sibi pugnando honoris, & gloriæ acquisiuere : quantum nemo aut dicendo, aut scribendo illorũ meritis vnquam posset tribuere. Nulli, e, Chal-

cide, Lesbo, Chio, Propontide, Peloponneso, ipsaq; Byzantio facilis, & tuta in Syriam, atque Aegyptum nauigatio dabatur: totum enim illud mare crebris excursionib. infestum reddebant. Cum Mahumetes Turcarum rex potentissimus Misachum Palleologum virum solertem, & in armis admodum exercitatum cum ingenti classe, & innumerabilibus copijs ad obsidendam Rhodũ misisset: magna accepta clade, & deleto penè exercitu, multa cum familiæ Othomanicæ ignominia eum in Thraciam reuocare coactus est. Selymus imperatorum omnium qui in terris vnquam fuerunt, crudelissimus, idemq; fortissimus, licet Hismaelem Persarum regem armis vicerit: duos Sulthanos imperatores peditatu & equitatu firmissimos commisso prçlio, non solum superarit, verum etiam interfecerit: Syriamq; & Aegyptum nullo obsistente bellatore, suo imperio adiecerit: tamen hos sacros, nobilesq; equites, quos in medijs suorum regnorum penetralibus regnare conspiciebat: bello lacessere nunquam ausus est. Sed hæc vt è memoria nostra aliquantulum remota prætercam, & ad propinquiora veniam. Quis Turcarum tempestate nostra ex Asia, Epiro, Macedonia, Mœsia, in Cercinitim, Clupeam, Curubim, Marnaben, in Laruneſias insulas, & promontorium Mercurij nauigat: qui si è naufra

gio, ventorumq; vi fugerit, in illorum manus non incidat? aut certissimo ab eisdem imminenti periculo se non committat? & ne in re manifestissima sim longior, & vos ea, quæ vobis magis nota sunt, quàm mihi, narrando tædio afficiam: quascunque superioribus temporib. clades & calamitates hostes accepere (quas autem clades & calamitates non accepere?) si recte ratiocinari volumus, illis acceptas referre possunt. Etenim qui sunt qui quacunque iter habent, hostium strages faciunt? equites diui Ioannis Hyerosolymitani. Qui sunt qui barbarorũ vrbes maritimas deprædantur? incolasq; in seruitutem quæ morte durior est adducunt? Equi. diu. Io. Hieros. Qui sunt qui prædas rerum pretiosarum ab oppidis, insulisq; direptas Melitam aduehunt? equites diui Ioannis Hierosolymitani. Qui sunt denique qui depopulationes, cædes, vexationes, incendia, calamitates, lethaliaq; vulnera Mahumetanis infligunt? equites diui Ioannis Hierosolymitani. O, viros non modo horum quos vidimus, verum etiã illorum de quibus audiuimus præstantissimos, O, viros gloriæ natos, et immortalitati cõsecrandos. Quid aliud dicã? nihil propriè magis possũ dicere. Si tã opib. et facultatib. instructi essẽt, quã animo ad belligerandũ cũ hostib, parati sunt, tantũ abest vt Solymanus tot potentiss. regũ, et bellicosarum

gentium victor, de proferendis imperij finib. & de excidio nostro cogitaret: vt vix in intima Asia tutus esse posset. Si tanta cum laude rem bellicam administrarunt, & rempub. Christianam, communemq; vtilitatem semper pro virili parte adiuuerũt, tutatiq; sunt; Cur eis nunc in durissimo, miserrimoq; tempore non sine ceterorum Christianorum periculo versantib. pari animo, & studio ea quæ potestis auxilia non subministratis? Quod quidem nullo hortatore, sed ipsi vestra sponte, et pro vetustate necessitudinis, & pro dignitate illorum facere deberetis. Nam si (quod abhorret animus dicere) Solymanus eis iugum seruile impo suerit, tanta victoria elatus, & ferox, vos vestraq; regna propediem aggredietur. Non enim Pœnum Leonem (sic enim memini legisse, a Sibylla Erithrea Hannibalem appellari) imitabitur, qui cum post editam memorabilem apud Cannas Romanorum stragem, rerum potiri nullo negotio potuisset: victoria vti noluit: quid vti noluit? vti nesciuit. Sed continuò incredibilem celeritatem proferens, Siciliam & Italiam classe & exercitu inuadet: in Gallias transcendet: in Hispanias, & Germaniam irrumpet quacunque transibit, suæ crudelitatis signa in omnes exercebit; impietatisq; arma vertet. Quare vos appello duces,

principes, proceres, & reges Christiani illius audaciam infringite, ferociam contundite, impendentem socijs vestris, vobisq; omnib. tempestatẽ vestra virtute propellite, dum leuissimè propelli potest: ne si (quod immortalis & omnipotens deus penitus auertat) aliquo cœli signo commota turbulentius excitetur: Rempub. Christianam euertat vniuersam: & vos frustrà propellere conemini. Nunc animus virilis vobis capessendus est, nunc consilium ineundum, quo modo fortissimi illi viri de nobis mirificè atque optimè meriti ex imminenti morte liberentur. Heu quid agãt miseri? aut quò potissimum infœlices, atque infortunati accedant? a fronte, a tergo, à dextro, sinistroq; latere, ac quocunq; se vertunt, hostilia arma vident. Mare nequid importari aut exportari possit, ab hoste innumerabili classe pariter & ornatissima vndique tenetur. Pedestres copiæ euastatis hostili licentia amœnissimis prædijs, villis, pagisq; exustis, ac locis opportuniorib. insulæ occupatis, non solum pabulatione, frumẽtatione, publico, & priuato commeatu prohibent, sed ingressu, egressuq; ita exclusere, vt ne pedem quidem foras efferre sinant. Vrbs ipsa ex omnibus partib. aggere, vineis, turribus, arietibus, cuniculis, testudinibus, & machinis omnium generum vno tempore muros ferientibus

acriter oppugnatur. Cannones qui a cannarum similitudine dicti sunt, crebris explosionib. pilisq; tormentarijs per illos vi sulphurei pulueris, emissis, mœnia funditus deiecere. His enim tormentis non multis ante annis apud Fossam Clodiã repertis, tantus inest impetus, tam horribilis fragor, vis tam ineuitabilis, vt ne murus quidem æneus, aut adamantinus tam graues illorum ictus sustinere possit. Iustitium igitur indicite, togas deponite, saga sumite, exercitumq; non ex tyrone, & collectitio, & tumultuario milite, sed ex robustis, & bellicosis, & veteranis legionibus conficite. Tot copijs agendum, vt equites, diui Ioannis Hierosolymitani ab immani Scytharum impetũ, atque obsidione liberentur. Quos si deserueritis, & prodideritis, quib. tandem hominib. vnquam auxilium feretis? quib. fauebitur? nisi forte Turcas qui eos nunc oppugnant, adiuuandos, eos qui illorum impetum sustinent, deserendos putatis. Contra illos bellum gerendum est, in acie standũ, de religionę, & libertate decertandum, qui nobis ferrum, flammamq; minantur, seruitutem et cædem nostram quotidie cogitant: et quacunque eunt, multo cum maleficio, & iniuria omnia vastant, diripiunt, auferunt, exercituq; Solymani contra nos ad sæuitiam, et crudelitatem vtuntur. Quæ flagitiorum genera, quæ clades ab illa bar-

barorum colluuie nostrarum facultatum & sanguinis sitientissima, in Siculorum caput emanassent? quæ mala miseri Siculi pertulissent? (omnia autem mala pertulissent) nisi illam temerè & effrenatè in perniciem illorum ruëtem Ioannes Valeta sacræ nobilisq; Hierosolymitanæ militiæ magnus magister militari consilio, et prudentia, suarumq; cohortium immota phalange non inhibuisset. Quæ tempestas bone deus? quæ vastitas? quę pestis nostris ciuitatibus fuisset? & Apuliæ inprimis, à Macedonia, & Epiro non satis longo interuallo distanti? nisi militum diui Ioannis Hierosolymitani incredibilis, ac diuina virtus furentum hominum conatum, atque audaciam compressisset? Si enim Solymanus quod animo intenderat, eius exercitus & claßis pręfecti perficere potuissent, (potuissent autem nisi eorum dementię, & sceleri virtus horum militum obstitisset,) Italia aliquod graue, & intolerabile detrimentum acciperet, esset & receptaculum piratarum, & agger oppugnandę Siciliæ Melita. Quæ nunc tot circũsessa miserijs, tot circumuallata calamitatibus, a quibus noctes et dies misera diuersè trahitˋ, subsidiũ vestrũ inuocat, ad vos confugit, a vobis opẽ supplex petit: quã illi qui denegat, hunc ego hostibus quã simillimũ iudico, et nõ hominẽ, sed crudelissimã ferã identidẽ appellare nõ verebor. Certò scio bonos principes qui illã saluã esse volũt, &

omnia de Repub. Christiana præclara, atque egregia sentiunt, sine recusatione, ac sine vlla mora bellum contra Turcas summa ope paraturos, daturosq; operã, vt quamprimũ vrbs incendio, cæde ciues, insulæ vastitate liberetur. Vestrum est ijs qui pro nostra religione, et nomine Christiano pugnant, seq; pro eo tuendo, & conseruando offerũt aleæ belli, periculisq; omnibus prouidere, ne hostis crudelissimus vnquam nocere possit. Vestrũ est omnes labores capere, omnes dolores, cruciatusq; perferre non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo ex aliqua parte vestris studijs, & operibus populi Christiani dignitas salusq; pariatur. Si tanta illorum miseria vos non mouet, moueat vos vestra, vestrorũ liberorũ, et coniugũ. Quas nõ solum quo mõ ex acerbissima vexatione, et bello, sed ẽt ex vexationis, & belli metu eripere possitis, cogitare debetis. Melita mihi credite, ruere nõ potest quin secũ multas insulas, multas ciuitates, multosq; mortales ad eandẽ calamitatẽ trahat. Quare per deũ prospicite rebus vestris, consulite vestris cõmodis, conseruate aras, focos, fortunasq; vestras: circunspicite procellas, quæ vobis, vestris liberis, et cõiugib. a sæuissimis Turcis impẽdẽt: Pop. Christiani amplitudinẽ defendite: Melitẽsibus a Scytarũ manu oppressis præsto esse, de mittendo illis subsidio, quãdo præsidiũ

ab hoste interclusum est, cogitate: & sperate ac pro comperto habete, magnum deum pro religione & Christiani nominis gloria decertare paratis sine dubio certissimam opem allaturum: & diuum Paulum doctorem gentium qui illi insulæ præsidet, ac sacræ nobilissimæq; militiæ numen tutelare prophetam Baptistam pro eis vobis vt meremini, relaturos gratiam esse. Quantum malum vobis a Mahumetanis immineat videtis. Si Melitenses & milites diui Ioannis solos hoc manere putatis, vehementer erratis, latius vestro iudicio, & opinione disseminabitur: manabit non solum per Siciliam, quæ a Melita sexaginta millia passuum abest, verum etiam irrumpet in Italiam huiusmodi calamitatum nunquam expertẽ: indiesq; vltra serpens, multas ciuitates opprimet, multas prouincias occupabit. Id facile nunc infringi & debilitari potest, si primo quoque tempore copiæ firmissimæ in Melitam traijciantur: bellumq; cum his communi consensu geretis, qui Melitenses vita priuare, diuiq; Ioannis Hierosolymitani religionem, & nomen extinguere punctum temporis non intermittunt. Vincat vestrorum periculorum rationes vtilitas Reipub. Christianæ: Vincat eiusdem auctoritas, & maiestas. Vincat honestas Non adhuc videre videmini Melitam insularum præstantissimam, atque arcem

totius Italiæ subitò vno incendio coflagrantem? mœnia crebris æneorum tormentorum ictibus deiecta? miseros ciueis pro se ipsis, coniugibus, liberis, libertate, solo natali, focis, arisq; acerbissima morte interfectos? Eos ipsos equites quos vobis toties nominaui, pro religione Christi nostri seruatoris occidione occisos, insepultos iacere? Non adhuc cernitis animo, menteq; videtis acerrimos Christiani nominis hostes furore præcipites multa passim in deos, hominesq; impiè, nefarieq; committere? bona fortunasq; ciuium diripere? ac sanctissimas diuorum cælitum imagines e fanis religiosissimis disijcere? Non versatur vobis ante oculos aspectus Mahumetanorum & furor eorum in mulierum et virorum cęde bacchantium? Non adhuc vos non dico animo, sed auribus accipitis lamentationes matrum familias? eiulatus virginum? puerorum querimonias? Quoties mihi venit in mentem, venit autem quàm sæpissimè Turcas de pernicie Melitæ, & excidio illius præclarissimæ vrbis tam acerbè tamq; crudeliter cogitare, præ dolore pedibus insistere nequeo, commoueor animo, totaq; mente ac sensibus contremisco. Si vehementer hæc videntur misera, atque miseranda, quæ certè sunt miserrima, & maximè miseranda, cur ijs qui ea perficere conantur, non occurritis? armatiq; obuiam itis? Etenim

quæro a vobis, ſiquis vellet vos veſtris fortunis euertere, pecorũ greges a paſcuis abegere, agros vaſtare, domosq; incendere: non hunc bello perſequendum ſtatueretis? At videte quanto iuſtius, atque honeſtius eſt, in eos veſtra arma conuertere: qui vos trucidare, veſtras coniuges, liberosq; in ſeruitutem rapere, tectis ignem inijcere, & hoc vniuerſum populi Chriſtiani regnum delere, omni ope atque opera enituntur. Quid ſtatis? quid cunctamini? cauſa eſt poſt orbem conditum hæc inuenta ſola, in qua veſtra omnium virtus eluceat, in qua gloriam ſempiternam, et nunquam intermorituri nominis memoriam vobis comparare poſſitis. Quis veſtrum eſt (dicam cum bona veſtra venia) tam ferus? tam barbarus tam immanis? qui non audaciam, & temeritatem Turcarum perhorreſcat? qui non obſtare cupiat? qui omnes vires animi, atque ingenij ſui non profundat, ne quid de ſumma Reipub. Chriſtianæ dignitate minuatur? vna mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce, obſeſſis ſubuenite: obſidentibus arma inferte: Vobis ſupplices manus tendunt Melitenſes, vobis ſe, vobis vitam ſuorum liberorum, & coniugum, vobis aras, & Penates, vobis milites diui Ioannis Hieroſolymitani arcem diui Ermi, et diui Michaelis, vobis Chriſti noſtri ſeruatoris templa

atque delubra religiosissima, vobis sacrosanctã religionem, ceremoniasq; sacrorum, vobis muros, atque vrbis tecta commendant. Quamobrẽ perniciosis hostibus bellum mouete Melitam obsidione, & metu seruitutis liberate, easq; res gerite, quæ in omnium gentium ore & sermonibus semper hæreant: in omnium posterorum mentibus semper repostæ, atque defixæ sint. Quid vnquam indignius, sceleratius aut intolerabilius, dici, fingi, excogitariue potest? quàm vos qui Christiani, & potentissimi nati estis, videre & pati Turcas furiosos homines, & sine dubio crudelissimos religiosis diuorum cœlitum delubris sceleratas faces inferre, & fortunas Melitensium tot annos tanto cum labore acquisitas depopulari? Per dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, qui pro incolumitate humani generis in crucem sublatus obijt, vos obsecro, obtestorq; communi ope, & auxilio, vnóq; animo, & mente in illos coniurate: Hierosolymitanæ religioni dum vobis facultas subueniendi summa, facillimaq; datur, subuenite: ne postmodum si in illorum manus venerit, cum velitis, frustrà velitis. Quæ vnquam tanta vis in terris reperietur, quæ tantam fortissimorum virorum coniurationem perfringere tantam conspirationem bonorum labefactare, aut paratã

victoriam interpellare possit? Quid? gregarium numerum illorum extimescitis? virtute, & audacia, non infinita militum multitudine victoria paratur. Alexander magnus quem Hannibal Pœnus rogatus cui imperatorum primas deferret, maximum pronunciauit, inuicta Macedonum phalange innumerabiles Darij copias prælijs fregit, ac totum orientem victor peragrauit, Athenienses perexiguo militum agmine Xerxē CLXX. hominum myriadas, hoc est decies septies centena millia ad subigendam Græciam ducentem tanta clade oppressere, vt vix ipse tanti exercitus imperator per stragē inermis effugerit. Romani quos honoris & amplitudinis causa semper nominatos volo, totum terrarum orbem vna vrbe vicere suamq; Rēpub. omnium quas vnquam Sol vidit florentissimam & maximè memorabilem constituere. Quæ nunc etsi fatis ita volentibus, gentium & populorum multorum imperium non habet: tamen (quod ego longè maius esse existimo) Christianæ religionis & veræ pietatis est caput. Thomyris regina Schytarum parua manu ducēta millia Aßyriorum vnà cum Cyro eorum rege trucidauit tanta cæde, vt nè nuntius quidem luctuosæ cladi superfuerit. Milciades in campis Marathonijs vix decem Atheniensium millibus Persarum plus centum decem millia ingenti strage dele

uit. Omitto. C. Marium qui Cymbros, & Theutonos ad aquas Sextias parua manu de medio sustulit. Pretereo Pompeium, qui admodum paruo stipatus exercitu de Mithridate quadraginta millib. hostiũ cæsis, triumphauit. Nihil dico de C. Cæsare qui Aquitanos, Heluetios, Aruernos, reliquosq; Gallos, & Germanos exiguis copijs strage atrocissima perculit, imperioq; Populi Romani subiecit. Vos, alloquor vos Itali, Hispani, Galli & Germani Principes, nec rei militaris disciplina, nec vsu bellandi Solymano atrocissimo hoste inferiores, numero autem bellicosarum gentiũ atque opibus longe superiores, illius formidatis exercitum: qui quantusquantus est, ex Asiana inermi, & tumultuaria multitudine est. Prætoriæ Janizerorum cohortes siquæ sunt, quæ paucæ sunt ex ijs potissimum sunt, qui Christiani, a Christianis cacodæmonis instinctu occæcati, ad Mahumetana sacra defecere, Sed esto, sint omnes Mahumetani, & exercitatissimi in armis, vestrum tamen non dico impetum cui ne orbis quidem terrarum vniuersus posset resistere, sustinebunt; sed armorum fulgorem tubarumq; clangorem ferre non poterunt. Agite ergo quotquot estis optimi, & magnanimi principes arma capite, & vt strenuos decet bellatores, animosè, et viriliter pugnate. Hoc præsertim tempore, quo omnes vrbes,

prouinciæ, regna, gentes, populi, nationes, ad salutem, & libertatem communem tuendam exarsere: & tanta inter vos concordia est, quanta nunquam fuit. Si hostem communem communi consilio inuadetis: felicitate, & virtute ducum, legionumq; vestrarum breui tempore sine dubio opprimetis. Iam nunc ego veluti de loco superiore, mihi videre videor, Turcarum Numidarumq; cohortes hinc in fugam versas, cedere: illinc palantes passim trucidari: cadauera in campis strata iacere: terram cæsorum sanguine fluere. Intueor Burgum vrbem graui obsidione liberatam, nostrum exercitum spolijs barbarorum onustum, triunphantemq; obuijs (vt aiunt) vlnis excipere, Iam sui iuris Melita nimio gaudio exultat, proq; tam insperata victoria, deo immortali multorum dierum supplicationes decernit. Iam sacræ nobilisq; religionis magnus magister cætu eorum equitum, quorum virtuti (vt inquit poeta Ennius) fortuna belli pepercit, stipatus, victoribus obuiam prodit: lætus agnoscit: gratias agit amplissimas, & immortaleis, pro defensa, seruataq; sacri ordinis equestris dignitate. Cerno parentes pro liberorũ suorum pudicitia retenta, nimia lætitia exultantes, vobis sũmopere congratulari. O diẽ illum dierum optimũ, et omniũ felicissimũ, nec albo lapillo solũ more Thracũ notãdũ

Sed eloquentium oratorum, elegantiumq; poetarũ scriptis vbique celebrandũ. Hæc quamprimũ eue nient, si quamprimum aduersus crudelissimum hostem crudeliter equitibus diui Ioannis minitantem, Melitensium agros, domos, fortunasq; suis militibus penè assignantem, atque dilargientem concordes, coniunctiq; arma tuleritis. Cur cunctamini? cur tantam lætitiam impeditis? tantamq; felicitatem vobis ipsi inuidetis? Præstolamini fortasse vt hostilis exercitus orta inter se dissentione, mutuis vulnerib. se interficiat, aut a Solymano ad vos transeat. Erratis si id fieri posse putatis. Huic rei vigilantius, cautiusq; quàm existimatis, prouisum est. Aliena insania, externisq; exemplis didicit, quàm periculosum sit a suo rege deficere. Nec Mehercule causam habet vllã quamobrem eum hoc tempore deserat, siquidem militibus qui in numeros distributi sunt, sacramentoq; dixere, singulis mẽsibus stipendia procedũt: nec quisquã est e tãto numero, qui vel obolo, vel asse Siculo, (vt nos nostra lingua dicimus) fraudetur. Si forte speratis fieri posse (nã hoc quoque multos sperare audio) vt derepẽte coorta pestilẽtia uel loci cæliq; grauitas, sine vestris armis, vlroq; motu sit hostes aßũptura, aut deus ipse qui omnia põt, sine prælio, sine plaga, vestraq; incursione, eosdẽ solo nutu deleturus spes vestra pertenuis est. Nã de⁹

vti(prouerbio dicit) vigilantes & fortiter, ac strenuè facientes adiuuat: ignauos supplicia, lamentaq; muliebria, & vota tantum quæ nunquam sunt persoluturi nuncupantes deserit Si vultis igitur deum a vobis esse, eius vos religionem pro virili vestra parte defendite, & miseris obsessis quàm maturrimè opem ferte, Nam summopere verendum est ne idem fatum, eandemq; fortunam subeant, quam olim Casilinos, & Petilinos subijsse ferunt. Qui cùm folijs arborum, herbisq; bestiarum more vndecim menses obsidionem tolerassent, non ante, a Pœnis debellati sunt, quàm paulatim præ inedia deficientibus viribus, consumptisq; omnibus telis, in muris amplius stare non potuerunt. Claßis maxima, & numerosißima lunatis exornata vexillis, speciem æquo maiorem, terribilioremq; nostrorum oculis præbet: numerum ducentarum, ac quadraginta nauium complet, demptis innumerabilibus minoribus nauigijs quæ spontè voluntarièq; classem sequuntur. Sunt in ea centum septuaginta triremes, quinquaginta rostratæ biremes robore, & magnitudine triremibus penè pares vndecim capaciores naues, magnorum castellorum instar quas Turcæ sua lingua mahonas vocant, octo onerariæ ad impedimenta, legiones, sarcinasq; militares vehendas aptißimæ, Cum his omnibus Pialis, de mari,

Muſtaphas qui ad aquam Martiam caſtra fecit, cum prius apud pagum Azorbarim conſediſſet, de terra cum infinita peditum multitudine noctes & dies obſeſſos vrgent: neque res ſolum agitur ſclopettis, archebuſijs, ſcorpionibus, arcubus, fundis, iaculis, omniumq; generum miſſilibus: ſed maiorib. æneis tormentis, inter quæ duo vaſtæ, ſtupendę, atque admirandæ magnitudinis baſiliſci: qui ferream amplius centum pondo pilam in muros euomunt. Noſtri magnis difficultatibus conflictantur, quod ſaxeo in loco glebam, ceſpitemq; ad reficiendas munitiones, nouasq; continuò pro euerſis ſufficiendas, ex disciplina militari deſiderant. Quo in ſtatu Melita ſit, videtis: de qua quando pro virili noſtra agere cæpimus: non alienum a propoſito noſtro eſſe ducimus: ſi paucis de eius ſitu, & quemadmodum in equitum Hieroſolymitanæ religionis manus peruenerit, diſſeramus. Melita a melle dicta, insula eſt ſatis lato ab Sicilia freto, periculoſoq; diſiūcta, cuius circuitus Lx. milliaria complectitur: in longum porrigitur viginti millib. paſſuum latitudo conſtat xii millibus: nullaq; insula in toto noſtro mari a continente magis remota eſt. Nam ab Epizephyrio agri Caſtellani promontorio ducētis millib. paſſuum abeſt: multo plus ab Africa: eodem tempore quo Sicilia in prouinciam redacta

est: a Pœnis qui eam tenebant, in potestatem populi Romani venit. Regnauit in ea Battus rex opib.; & armis potentissimus, Siculorumq; tyrannis amicissimus, ad quem confugisse ferunt Annã Didonis sororem Carthagine ab Hyarba Numidiæ rege eiectam: & ab eo pro amicitia, & familiaritate quæ inter vtrunq; intercedebat, honorificentissimè & liberalissimè tractatam. Fuerunt in ea duo templa, vnum in ea parte insulæ, quę vergit ad orientem, Iunoni sacrum: ubi dentes eburnei eximię magnitudinis fuiße dicuntur: alterum in ea parte, quæ spectat ad Austrum, Herculi dicatum: vtrunque operis structura, opibus, sanctitate, & religione maximè memorabile, & a primæ classis auctorib: celebratissimum. Capparis, cumini, & gossipij bonitate gloriatur, perinde ac Tmolus Lydiæ mons croco: India ebore. Pontus Mithridatis olim regio venenis: Arabia ture, myrrha, cinnamomo, & summa rerum omnium copia. Xilineas telas tum tenuitate, tum mollicie spectatas texit. feras malefici generis nusquam educat. Viperæ, phalangia, scorpij, & huiusmodi animalia noxia, & pestifera, (vt de psyllis qui hæc consectatur audiui) venenata ibi non reperiuntur: quod opera Pauli apostoli sub cuius tutela est, factũ esse credimus: qui huc tẽpestate delatus, eis

nocendi poteſtatem ademit: ſacriſq; concionibus incolas ad Chriſtiana ſacra, veramq; religionem abdicata Idolorũ ſuperſtitione, facilè traduxit. Oleaſtro, ficu, vitibus, & ceteris id genus arboribus, quæ in locis aridis, ſaxoſiſq; naſcuntur, fæcunda: fontibus, & riuulis illuſtris: frugibus, & piſcibus copioſa: vino fertilis: opima paſcuis: optimi mellis ferociſſima: tanta ſoli vbertas, elementorumq; clementia, vt arbores bis in anno fructus ferant. in plurimis tamen locis malignè colitur, aſpera, ſaxoſa, infæcunda, & ſterilis. Cœlũ adeo ſalubre, & clemens, vt cum illo Crotonis quod ſaluberrimum eſſe conſtat, poſſit cõtendere. Cum Sol in Cancro eſt, Siriusq; agros findit, interdiu incolæ immoderato æſtu torrentur, noctu largiſſimo rore madefacti, penè rigent: flores fert incredibili fragrantia, vt non ſine causa Verri qui prætor Siciliam per triennium omni malorum genere vexauit, vitio, datum ſit; quod puluillo perlucido, roſa Melitenſi farcto vteretur: & veſtem Melitenſem quam muliebrem fuiſſe Cicero in Verrinis docet, Romam aſportarit. hinc etiam catuli qui ab ea Melitæi dicti ſunt, ad fœminarum delicias aduehebantur. Portus habet plures a ventorum ſæuitia tutos, & mercaturis faciendis accommodatos; pagos LX habitatos omnes; ædes

pro loci natura pulchras, & exornatas gypso. Quinto post mense Rhodo a Solymano qui in eam insulam cum innumerabili classe, & ducentis armatorum hominum millibus traiecerat, deditionem facere compulsa, a Philippo Vilerio Liladamo sacræ militiæ magno magistro hac pactionis lege dedita est, vt inuiolatis corporibus, intactisq; fortunis, vnicuiq; liberè quò vellet abire liceret. Itaque magnus magister cum paucis equitib. qui Fortunæ beneficio in obsidione mortem non oppetierant, vrbem infelicissimam Tyrãno relinquẽs, in Cretam Venetorum coloniam nauigauit, refecta classe & accepto necessario commeatu, hinc soluens, Parum, Naxum, Zacinthum, Cephaleniam, Sporadas insulas, Corcyram, & Gallipolim prospero flante vento preteruectus, Messanam Siciliæ vrbem nobilissimam modico interiecto freto a Rhegyo Brutiorũ oppido distantẽ peruenit. Carolus Quintus regum, & imperatorum optimus maximus, certior factus eorum, quæ apud Rhodum contigissent, diui Ioannis Hierosolymitani præfecti, & militum fortunam commiseratus: Melitam quæ sub eius erat imperio, eis perlibenter concessit. Quam multa cum laude multos annos tenuerunt, & si eis in tempore succuretur, tenebunt multò pulchriorem posteris relicturi. Hęc habui quæ de Melita dicerem, pauca dicenda

ca dicenda supersunt de Ioannis Valetæ Hierosolymitanæ religionis magni magistri virtute, industria, & diligentia. Vos adeste quæso, & me de re ipsa dicere incipientem non solum attentè, & diligenter, verum etiam libenter, & studiosè audite. Cum bellici apparatus rumor e Thraciæ finibus in Melitam peruenit, Græcusq; vir Turcicæ linguæ gnarus, qui multis ante dieb. Byzantium ad explorandos hostium motus, conatusq; missus fuerat, reuersus renunciauit, illic ingentẽ classem mira celeritate apparari, naualis terrestrisq; turbæ delectum in locis maritimis, & a mari remotis haberi: atque inusitatæ magnitudinis tormenta fusili, conflatoq; metallo fabrefieri: multi de quauis re potius, quàm de sua salute soliciti, in eam discedebant sententiam vt dicerẽt, Turcarum regem Lusitanos esse classe aggressurum: vt e sinu Arabico, Indicisq; emporijs nauiculatores negotiatoresq; Aegyptij Memphim, atque Alexandriam, piper, cinnamomum, tus, myrrham, & cetera id genus aromata, & merces, interclusa nauigatione adueherent: vt inde postea haud mediocri quæstus emolumento per omnes suæ ditionis prouincias, oppidaq; pecunia commutarent. Non pauci quorum ab ijs diuersa erat opinio, qualibet grandi sponsione contendere non verebantur, eum in Italos esse arma conuer-

surum: vt aut in Frentanis Hortonium, vel Istonium expugnaret: vel ad Lapygium promontorium delatus, in sinu Tarentino Hydruntem, aut Brundusium occuparet. Nonnulli qui longè maiorem belli apparatum, validioremq; potentiam ad inuadendam, expugnandamq; Italiam pernecessariam esse iudicabant: Cypro, Cretæ, Corcyrę, Zacintho, Cephaleniæ, reliquisq; insulis, quæ Venetorum imperio subiectæ sunt, vehementer timebant: Complures de Corsica dubitandum esse, his coniecturis, & argumentis colligere videbantur: quod Sampetrius Corsus vir solers, & ad perferendos militiæ labores, egregiè subactus, Genuensium superbum dominatum, intolerandasq; vexationes pertæsus, illorum præsidia eiecerat, & ad euocandam classem Solymani Byzantium miserat. Ioannes Valeta Hierosolymitanæ religionis magnus magister, non eorum, modo qui eandem dignitatem adepti, in ea gerēda, atque administrāda præclarè se gesserāt, sed priscorū, et recentiū imperatorū virtute, magnitudine animi, florentiq; rerū gestarū fama superior, arma maritima, terrestriaq; cōtra se parari iureiurādo affirmauit: atque vt ita crederet, sacrū nobilēq; ordinē equestrē facile perduxit, Magna statim cū diligentia arma, ænea tormenta, pilæ tormentariæ, sulphureus puluis, telaq; missi

lia recognita sunt. Cisternæ quando iugis aquæ pu tei, fontesq; in ea vrbe non sunt, expletæ: molæ quæ & manibus, & asinis circũagerẽtur, cõplures effectæ: et licet antea de frugibus, salsamẽtis, molitis cibarijs, et reliquo cõmeatu fuisset satis prouisũ: missum est tamẽ illico in Siciliã, vt inde magnus numerus frumenti olei, vini, earumq; rerũ, quæ ad obsidionis vsũ expetuntur, & ad gerendũ bellũ necessariæ sunt, Melitã cõueherentur: nec aquarios, cocos, & tabernarios, sed veteranos, strenuos, & in armis exercitatos milites cõscribendos curauit. Iussum est etiã agrestibus, vt aut ad sonitũ æris cãpani, aut cũ procul e speculis hostilis classis prospiceretur, armenta, gregesq; in mœnia abigerent: atque interea dũ per ociũ liceret, fruges, & ferramenta partim curribus, partim dossuarijs, & clitellarijs iumentis in vrbẽ importarẽt. Peregrini, milites presidiarij, & oppidani hinc aduentatis classis metu cõmoti, illinc premio & liberalitate magni magistri inuitati, struẽdis aggeribus, propugnaculisq; cõmuniendis noctes & dies peregregiã dabãt operã. Missæ sunt nauiculæ speculatoriæ ad littus Apolloniæ, et ad insulas Grecorum, quę Turcis uectigales sunt, vt de aduẽtu classis, et de futuri belli motu diligẽter inquirerẽt, inquisitaq; exactè referrẽt. Armatæ triremes nõ solũ Gaulũ, Cosyrã, et Aegusã, quę

non longe abest a Lilybæo: Sed Numidiæ insulas penè omnes circumnauigabant: si forte aliquas piraticas biremes reperirent, vt earum trierarchi in quæstionibus habiti, grauioribusq; supplicijs affecti; quidquid scirent de Turcarum consilijs, dicere ac indicare cogerentur: & quoniã omnis ferè rusticorum multitudo cum familijs, & vtensilibus, e pagis agrisq; Burgum vrbem munitissimam confluxerat: Lustrum conditum est: equites antesignani quibus hæc res curæ erat, liberorum hominum ad militiæ munia apta decẽ millia recensuere. Reliquus numerus erat imbelliũ mulierum, senum, puerorum, & eorum qui aut per ætatem aut per morbos arma ferre non poterãt. Cum vero qui ex imminentibus mari collibus, altioribusq; speculis naues hostium prospexerant, magno magistro renunciarunt, maximã classem aduersis in portum diui Pauli proris aduenire: totaq; ciuitas tantæ classis visendæ studio, e portis effusa ad proximos tumulos rueret, omniaq; timore, et fletu complerentur: tã acerbo, atque inopinato nũcio nihil (quod sane mirandum est) perturbatus: equites Hierosolymitanæ religionis, ciues, & eos, qui in exercitu ordines ducebant, ad concionem vocauit: eosq; pro tempore exhortatus est, & priuatæ, & publicæ vtilitati, salutiq; prouiderent: vno ore, vnaq; voce,

& consensu responderunt omnes, se sua virtute nihil indignũ admissuros, & aut fortiter prelian do victuros, aut viriliter, constanterq; resistendo occubituros. Adiuuate igitur, adiuuate Proceres Christiani horum praeclarorum virorum operam: hostem non nequam, sed ipsam nequitiam non audacem, sed ipsam audaciam: non crudelem, sed ipsam crudelitatem comprimite: comprimite inquam hostem, exultantem effrenata superbia, flagrantem inusitata immanitate, spe occupandae Melitae incredibiliter inflammatum. Si vobis quaeritis decus: nulla in re campus patentior patebit ad gloriam, & nominis immortalitatem propagandam. Quae literae res tam benè, splendidè, & gloriosè gestas non celebrabunt? Quae aetas easdem oratione, praedicatione, & summis laudibus ad caelum non feret? Quae posteritas vestrum nomen suis scriptis non illustrabit? ac vno totius orbis Christiani ore, voce, consensu, & testimonio aeternitati non consecrabit? Si quaeritis honestatem, nulla in re maiorem reperietis. Quid enim honestius, quàm Melitenses socios, & amicos vestros ab iniurijs immanium Scytharum prohibere? & milites diui Ioannis vt genere, & nomine, sic virtute, & factis praestantes, ab imminentis mortis periculo liberare? Quod dum agitis, rem vestram agitis, non pote-

stis eorum libertatem prodere, quin vestram simul prodatis. Si talem aditum aduersus regionem vestram sibi Turca patefecerit: quis non videt, vos propter periculosam illorum uicinitatem, in locis vestris securos esse non posse? Agni non sunt vicino lupo tuti: nam deuorari poterunt: et sine dubio deuorabuntur. Additur quod qui Christi domini, & seruatoris nostri sacrosanctam religionem augendam, amplificandamq; exoptat: hoc bellum quoad eius fieri potest, adiuuare debet, dareq; operam, vt primo quoque tempore copiæ firmissimæ in Melitam traijciantur. Patiemini Proceres Christiani, milites diui Ioannis nostræ religionis propugnacula, in nullis terræ partibus posse consistere? nulloq; in loco sedes quietas habere? Eiecti sunt olim a Saracenis, e quibus locis bone deus? Hierosolymis, vrbe omnium quas vnquam Sol vidit felicissima. Magna vrbs Athenę, magna etiam Roma. sed si voluerimus vtranque cum hac sola comparare: longè inferiores reperientur. Viguit Athenis omnis humanitas, omnium bonarum artium disciplina, hinc etiam fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Sed eas veræ pietatis, & religionis ignaras fuisse, nemo est tā mediocriter in sacris literis versatus, qui non profiteatur. Roma tanto reliquis vrbibus dignitatis amplitudine

præstantior: quanto Italia ceteris prouincijs rerum gestarum magnitudine antecellit: totius orbis imperium adepta est: sed pessimorum Idolorum cultui manicipata, verum deum non cognouit. Hierosolyma arx sanctitatis, lumē gentium, sanctorum virorum domicilium, sancta sub veteri lege, longè sanctior sub noua, nostræ salutis mysteria omnia complexa est. Hic Iesus vt nos cælesti patriæ conciliaret, vltrò se immolandum obtulit: cum idem ipse esset & sacerdos immolans, & victima immolanda, & numen cui immolaretur: tertioq; die (vt prædixerat) resurrexit a mortuis. Dicet aliquis eam ciuitatem mihi laudas, quæ ipsum Dei filium, nedū prophetas morti tradidit? Qui hęc obijcit, de vrbis dignitate non detrahit, sed ciuium detestatur scelus: si enim hoc admitteretur: eodem pacto possemus & eloquentiam vituperare quod ea nonnulli oratores abutantur: fabrosq; ferrarios quod ferrum aliquando lædat, sua officina detrudere. Non nego populum esse scelestum, & impium: sed aio locū ipsū esse beatū, & sanctū, atque omni honore, cultu, et riuerētia dignissimū. Hęc pauca de Hierosolymis referre uolui, ut intelligeretis quibus sedibus milites diui Ioānis careāt quasq; terras Arabes, et Saraceni a nostra religione auersi suo imperio subiecerint. Redeo nūc vnde Paulo āte

digressa est oratio. Cum ijdem milites diui Ioannis Rhodum insularum optimam multos annos multa cum laude tenuissent, inde quoque a Solymano quod propter tractus vicinitatem, loca maritima Asiæ crebris excursionibus infestarent, multosq; vicos diriperent, direptosq; flammis absumerēt, deturbati sunt. Melitā eis a Carolo Quinto nunquā pro merito satis laudato imperatore, assignata est: Hinc etiam nunc idem Solymanus expellere vult. Itaque quid cessatis ei quo vt causa, sic armis meliores estis, bellum inferre? Vt sit Martis exitus incertus, fortunaq; bellandi anceps, vestrum tamen est pro socijs, proq; amicis omnia discrimina fortiter, atq; libenter obire: nō consideratis quàm pulchrum, quàm decorum, quàm optabile sit, & admodum fortunatum, pro religione, & nomine Christiano tuendo, præliū cum truculentissimis hostibus committere? e quo siue superiores, siue inferiores discesseritis præmia immortalia atque diuina vos manent. Animæ enim sanctorum corporeis vinculis exutæ, recta ad cælum, ad ædes Dei omnipotentis domini nostri Iesu Christi, vbi beati æuo sempiterno fruuntur euolāt. Ergo ipsa vos societas, ipsa amicitia, ipsaq; religio moueat, excitet, atq; inflāmet, ne tā pulchra materia, tam apta occasio, tempusq; tā idoneum, atque idem necessarium bellandi vobis

e manibus eripiatur. Gothifredus Galatiæ princeps transmisso Bosphoro Thracio, cum ingenti exercitu Iudæam hostiliter ingressus est, vt Hierosolymas multis ante annis Heraclio imperante fædè amissas recuperaret. Quoscunque obuios habuit hosteis, habuit autem complures: omnes deo adiuuante profligauit, multas vrbes partim vi & manu cæpit, partim minis, & metu ad deditionem compulit. Vrbe tandem non sine pertinaci oppugnatione, nostrorumq; militum virtute capta, & omnium consensu Hierosolymorum rex declaratus, ad memoriam Christiani nominis, omniumq; gentium sempiternam. de Medis, Turcis, Syrijs Caldæis, Saracenis, Arabibus, quos in varijs locis, collatis signis vicerat, trophæa ad tholum ædis Salamonis defixit. O principem admirabilem, & verè Christianum, O sapientem, & inuictum heroa: O regem non vno regno, sed multis dignum: non illum tam longa via, tam periculosa maria, tam validæ hostium copiæ, tam incredibilis populorum numerus per infesta; inimicaq; omnia perterruit, quo minus quod iampridem animo conceperat, perficeret. Vos illo classe, exercitu, & rerum omnium copia potentiores: vt Melitam militum diui Ioannis Hierosolymitani sedem, totiusq; Italiæ aggerem, & firmissimũ propugnaculum ex ferro, atq ue flamma, ac penè

ex belli ore, ac faucibus immanium Turcarum eripiatis, auersis a pietate animis, cunctamini? Expergiscimini aliquando per deum, capessite arma, omnes & laudis cupiditas, & timor ignauię ad virtutem excitet, Non enim nunc tantum de Melitensium salute, & libertate agitur: sed totius reipub. Christianæ dignitas in dubio est. Nolite amabò vos mollicie, & desidia vestra totam insulam prosternere, ac hostibus diripiendam dare. Olim dum cõmunem causam defenditis, dum negligẽtius succurritis, Rhodum amisimus, Quæ nunc iure, & legib. commutatis, imperio Solymani subiecta, perpetua premitur seruitute. Si æquo animo fertis ciuitatem sanctam quæ de cœlo descendit, a prophanis possideri, si Rhodum nobis ab hoste interceptam non doletis, nolite amabò vos pati Melitam non sine ignominiæ nota, vobis vestroq; generi inurenda, in eiusdem potestatem venire. Si bellum aliquod difficile, & periculosum vobis suaderem: tamen committendũ non esset, vt quam multa cum laude, & gloria domi, militiæq; per tot annos apud omnes existimationem estis adepti, aliquo turpi facto fœdaretis. Sed ego vobis ostendam, pl numq; faciam, hoc bellum esse admodum facile, & tutum, Primum cum ijs vobis belligerandum est, qui nuper ex Asia

saluberrima prouincia aduecti, ob insoliti ac mutati cœli commutationem, vehementi morbo conflictatur. Pauci enim sunt qui vt ex transfugis cognouimus, ex intestinis, hoc est (vt me dici dicunt) fluentis ventris vitio, & sanguinis profluuio non laborent. Sed fac eos esse firma corporis valetudine: possunt Asiani imperiti, rudes, molles, imbelles, semiuiri, & penè victi cum prudentib. exercitatis, duris, masculis, bellicosis & victiorib. Italis comparari? Asiani ad otium, lasciuiam, & voluptatem nati, aurum potius quo abundant, quàm ferrum tractare nouere: arcus sagittas quibus hæc natio plurimum vtitur, ad ostentationis potius quàm ad fortitudinis speciem gestant. Cumq; in summa rerum affluentia, & copia educati sint, ijs rebus maximè ducuntur: quæ ad effœminandos animos, corrumpendaq; corpora plurimum valent. Inter exoletorum greges, quibus supra modum delectantur, in intempestiuis commessationibus vitam traducunt, pericula inuiti adeunt, labores non nisi coacti suscipiunt, nec in bello virtute magis, quàm dolo, & insidijs nituntur. Itali contra licet in opulentissima regione nati sint, Italia enim fertilis est, & vbertate agrorum, & varietate fructuũ, et copia omnium rerum quas vbique terra

creat, facile omnibus locis antecellit: tamen cum lacte nutricis lucta, & saltu cum æqualibus certant, venationi studen; inaccessus saltus lustrant, valentissimas bestias venabulis transfigunt, in bello virtute, & non dolo contendunt: in volupta tis loco habent feruente, rigenteq; cælo, aperto capite iter facere: humi sub dio quiescere: arduos montes incitato cursu transcendere: fluuiosq; ra pidissimos summa hyeme natando superare. bella inferunt, illata propulsant, pro focis, & aris in ferrum, & flammas duo maxima mala ardenter se iniiciunt: & (vt paucis multa complectar) Si quemadmodum Germania vnum tantum imperatorem habet, vni regi Gallia paret, vniusq; regis nutu Hispania gubernatur: iidem quoque vno rege, aut imperatore regerentur, non modo maiorum nostrorum negligentia dixerim? an socordia an vtraque potius? iandiu amissum sacrosanctum Christi sepulchrum, omnia oppida, & castella Ciliciæ, Pôti, Cappadociæ, Paphlago niæ, Mediæ, Syriæ, Mesopotamiæ, Phœniciæ, & Arabiæ, e manibus immanium barbarorum eriperent, totaq; Pannonia, & possessione maris Aegæi eos deturbarent: sed etiam vniuersam Asiam, atq; Africam amplissimas regiones quæ illis iure bellico, & hæreditario debentur, Christiano nomini vindicarent. Nec sanè mirum, ab

ijs enim maioribus se ortos esse gloriantur, qui intra tres & quinquaginta annos totius ferè orbis gentibus, ac nationib. bello domitis imperauerunt: rerumq; gestarum famam non terræ, sed cœli spatijs, & regionibus terminauere. Siquis (dijs, hominibusq; inuitis, ac improbantib.) dixerit. Italis nunc vna cum imperio rem militarem concidisse, priscamq; illam animorum ferociam, & vigorem elanguere: hunc ego (nisi ad propositam breuitatem mea festinaret oratio) tantum a vero abesse ostenderem, vt magis a vero abesse non possit. Sunt enim hac nostra ætate pedites, equites, centuriones, antesignani, tribuni, in disciplina bellica veteribus illis non inferiores: sed quid ago? quò me transuersum rapitis Itali? sinite quæso me rem institutam persequi, nam vobis spondeo, in meq; recipio, commodiore loco de vestra incredibili virtute, rebusq; præclarè gestis dicturum. Deinde Afros quos e circuniacentib. Numidiæ insulis Dragutes in speciem potius pugnantium quàm in ipsam pugnam euexit, cum robustissimis Hispanis conferes? qui in nulla re libentius quàm in armis acquiescunt: sine ijs vitam acerbam, atque insuauem esse ducunt. Quis eorũ virtutem, industriamq; in bellis non admiretur? vnusquisque eorum non æquè ac rei bellicæ peritissimus imperator callet iaculum emittere, hastã

vibrare, signa sequi, ordines seruare, obsistere, circumire, discurrere, pugnam e dextro cornu in sinistrum, e sinistro in dextrum, aut in medium agmen (si ita res poscit) mutare. Afri arcus intendunt, sagittisq; feriunt: Hispani archebusia displodunt, plumbeisq; glandib. exanimant: Afri equis auersis ad fugiendum, Hispani conuersis ad insequendum vtuntur. Afri iaculis eminus emissis, felium more puluerem in oculos dimicantium inijciunt: Hispani contortis hastis, gladijs cominus punctim magis quam cæsim petunt, aduersaq; corpora intentis mucronib. perfodiunt. Quid dicam de inuictis bello, & exercitatissimis in armis Germanis? qui in frigidissimis locis positi, malis orbiculatis (vt de Cæsarianis militib. dicere solebat Cælius) pasti, corpora ceteris firmiora, & ad vsum belli magis idonea habere videntur. Quod oppidum loco & natura tam munitum? quæ prouincia tam firma præsidijs? quam si benè se egestate, inediæ tolerantia, ac patientia rerum omnium durarint, expugnare flammaq; & ferro perdere nō possint? quæ uis armorum tam bene instructa, & ad dimicandum paratissima, quam primo congressu perfringere, et labefactare nō queāt? Taceo de Gallis, qui militiæ dediti, persuasum habent, nihil esse tam arduum, aut factu difficile, quod si illuc

acceſſerint, non poſſint armis explicare: omnes terras quas armati adiere, ſecundo ſemper victoriæ curſu peruagati ſunt: & (quod maximè laudandum exiſtimo) rem Chriſtianam aduerſus barbarorum iniurias peculiari ſemper ſtudio protexere, eiusq; terminos proferre, atque ampliare pro virili parte ſtuduere. Si cauſa cum cauſa confliget, veſtra ſine dubio præponderabit; a vobis ſtabit verecundia, probitas, clementia, ius, temperantia, continentia, fortitudo, prudentia, ſapientia, omnes virtutes deniq; ab illis petulantia, improbitas, crudelitas, iniuria, libido, luxuria, ignauia, temeritas, inſania, ac vniuerſa vitia. Vos pugnabitis auſpice Chriſto, deo immortali, & potentiſſimo, pro libertate, ſacra & pura religione; Illi duce Mahumete, nefario & ſceleratiſſimo homine, pro ſeruitute, profana & contaminata ſuperſtitione, Sed dum mecum cũ animo meo cogito, atque in omnes ditionis Chriſtianę partes introſpicio, quẽ potiſſimum e Chriſtianis principibus, regibusq; deligam, ac videam, cui hæc prouincia demãdetur, Tu Philippe qui et belli administrandi facultatem, et Chriſtianæ Reipub. ſalutẽ in manu habes, primus occurris, primusq; ante oculos obuerſaris. Cum Solis luce clarius ſit, te vnum regẽ eſſe, in quo ſumma ſint omnia nihil omnino aliud abs te petimus, quàm vt hoc bellum

contra Turcas suscipias, causam ad te transferas, tuam putes esse, enitare, contendas, efficias, intel ligant in se conferri pestem istam, quam in nos machinantur. Quod vt facias multa te adhortari debent: nam quæ multis ante seculis in multis regibus fuerunt virtutis ornamenta; ea omnia in te solo refulgent. Natus es e regia stirpe, siquidē paterno genere e Romanis imperatoribus, mater no autem ex Hierosolymitanis regib. es oriundus; quorum virtutes, honores, res præclarè gestas, victorias, triumphos, trophæa, laudis insignia, & ornamenta gloriæ, omnes statuæ, omnia mar mora, obelisci, & pyramides loquuntur; omnes annalium, & historiarum scriptores literis, & monumentis mandauere. Tuus abauus Federicus, proauus Maximilianus, auusq; Philippus in omni quidem virtutum genere floruerunt, & cum quo libet priscorum heroum laude, & gloria possunt comparari. Hos omnes Carolus Quintus Rex & Imperator Augustus, rei militaris peritia, & feli citate, longo post se interuallo reliquit; qui quidē, etsi vtroque tempore & belli, & pacis clarissimus fuit, & non modo eorum imperatorum, & regum quos nos ipsi vidimus gloriam, sed etiam eorum de quib. aut vnquam audiuimus, aut apud bonos auctores legimus, memoriam sua eximia, & singulari virtute superauit; in nulla tamen re

mihi maiorem laudem meruisse videtur, quàm quod te Philippe inuictissime filium prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, & omnium bonorum muneribus ornatissimum procreauit: & felici quadam nostra sorte, vel potius diuinæ prouidentiæ beneficio tanti regni hæredem, tantæq; fortunæ successorem reliquerit: certissimis indiciis, & rationibus tuæ virtutis indolem iam inde a puero satis spectatam heros prudentissimus cognoscebat, & qui tam magni imperij clauum in turbulentissimis bellorum motibus, durissimorumq; temporum tempestatib' regere, & administrare posses. Nec spes eum frustrata est. vix enim ex ephebis excesseras, tuæ pietatis, clementiæ, & sanctitatis fama totum orbem terræ peruaserat. Hoc tanto nomine impulsa, cum dote summa vltrò tibi nupsit Maria Britannniæ regina, de cuius vitæ integritate, & sanctissimis moribus, si esset narrandi locus, ea dicerem, quæ vix caperet humanæ coniectura mentis. Sola enim cum Britanni omnes a vera pietate, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ institutis deficerent, et de orthodoxorum Theologorum sanctorumq; patrum decretis, aliter ac nos sentirent, in ea disciplina, quam a Catharina matre lectißima, & sanctissima fœmina didicerat, permansit: eamq; vsque ad extrem- m suæ vitæ spiritum constantißimè retinuit. Auspi-

catò sanè in Britanniam traieceras, nuptijsq; de more celebratis, nihil tibi fuit antiquius, quàm vt illi insulæ diu vagæ, & a vero cultu aberranti, pristinus splendor, statusq; redderetur. Quod quidem breuissimo tempore sic perfectum est, vt Paulus Quartus Pontifex Maximus incredibili lætitia perfusus, illis populis reditum ad sanitatem, piamq; religionem gratularetur. Sed attendite quæso animos auditores humanissimi, dum paucis ostendo, quàm pacis, quietisq; studiosissimus idem ipse Philippus fuerit. Cum Henrici Gallorum regis exercitum florentissimum concidere, multasq; eius vrbeis præsidijs firmissimas, in suam potestatem redigere posset: tamen pacificatione potius, quàm illius exitio tantam tempestatem tam latè furentem, ac dabacchantem sedandam statuit. Qua in re illum ego suo patre tanto præstantiorem esse iudico, quanto bello pax melior esse videtur. Bellum fortissimos quosque milites pigneratur, agros vastat, exitium omnibus parat, vetustis vrbibus aratrum induxit, victos agris, ac vrbibus multat: populos bonis fortunisq; spoliat, verum a falso, sacrum a profano non internoscit: patres in filios, filios in patres, fratresq; aduersus fratres ad interitum vsque armat. At contrà pacis tempore agricultura exercetur, rerum commercia tra-

ctantur, honores diuis cælitib. tribuuntur, pietas, fides, iustitia, religio, dei metus vigent: bonæ literæ, artes, et disciplinæ florent: et vnusquisque denique vitam fælicem, ac beatam degit. Triumphauit Carolus Quintus multa cum laude de Pœnis, Germanis, Sycambris, Gallorum copias ad Morinum in fugam vertit, apud Ticinum maxima strage afflixit, ipsumq; Franciscum regem multis ante bellis inuictum, non modo cæpit: verum etiam captiuum per triumphum duxit. Gandauenses in Flandria res nouas molientes compescuit, magnam partem Indiæ post Columbum Ligurem, multis ex Hispania intentatū priorib. seculis Oceanum pari audacia, & fælicitate nauigantibus, in suam potestatem redegit. Solymanum Viennæ muros arctissimè obsidentē, Byzantium suam regiam turpissimè profugere coegit: totamq; Insubrium diœcesim suæ ditioni subiecit. Sed hæc omnia (si verum fateri volumus) multo suorum sanguine, & fortium virorum morte illi constiêre. Diuersa fuit tua ratio Philippe sapientissime, qui regno patrio, auitoq; contentus, tuos populos quieto ocio maluisti, quàm perturbato negotio continere. Multæ sunt regiæ, imperatoriæq; virtutes, clementia, humanitas, pietas, religio, iustitia, æquitas, continentia, disciplina bellica,

magnanimitas, liberalitas, sed nihil mehercule magis regium, atque imperatorium esse iudico, quàm subiectarum gentium securitati, & commoditati prouidere. Quod quidem cum tumultus ex tumultu, ac bellum ex bello seritur, vitaq; in castris inter arma traducitur, nullo pacto perfici potest. Sed nequis obijciat, nam obijcere potest, & obiecturum puto, animos hominum pugnandi desuetudine ignauos, desidesq; fieri. Quod etsi non omnino verum est, & rationum vi, exemplorumq; copia facile possem propulsare: tamen ne iuxta illorum sententiam virilis animus intermissione armorum effœminetur atque obtorpescat, ferri aciem tuiq; imperij vires in Mahumetanos conuerte. Qui varijs principum Christianorum discordijs, continuisq; dissidijs magni, formidolosique facti, Melitenses vallo, & fossa tot menses clausos tenent, & ex altera parte falcatos enses, & cædem, ex altera flammas, & seruitutem in omnes Christianos ostentant. Bellum est eiusmodi, quod te Christianorum regum facile principem pietatis commendatione, & militiæ disciplina in primis præditum, maximè stimulare, atque excitare deberet. Christianæ religionis dignitas in extremo periculo est, quæ olim a duodecim illis sanctissimis viris, quos Christus ad diuinas leges populos docendos potissimum delegit, per totum

orbem vulgata, in admodum angustas nunc angustias adducta est. In Palestina, Aegypto, Licaonia, Aethyopia, Scythia, Syria, Hircania, India, Arabia, Armenia, in insulis Mitylene, Achaia, Peloponeso Eubaea, Rhodo, summo honore, & reuerentia culta est. Africam tenuit, Asiam quam longa, lataq; est, peragrauit, & (ne de re notissima tecũ agam pluribus) in omnes terras exiuit sonus eius, & in fines orbis terrae imperium eius. Nunc ex ijs omnibus locis, a Mahumete, & nonnullis etiam ex Europae vrbibus a Martino Luthero eiecta, nisi celerrime occurres, in periculo est, ne e Melita quoque eijciatur. nam si (quod absit) victa victoris leges acceperit, velit, nolit, ei seruiet, & Mahumetanae superstitionis sacra, institutaq; sequi cogetur. Quamobrem expergiscere aliquando, & sacros nobilesq; equites Melitenses fide, religione, & armis tibi coniunctissimos, ab inusitato genere obsidionis eripe: verae religionis cultum, Melitae salutem, cum incolumitate tuorum regnorum defende. Si Melita hoc tempore tam difficili, & misero loqui posset: his vocibus (mihi crede) apud te vteretur. Illa ego Melita pro qua quondam Populus Romanus gentium victor, vt a barbarorum manibus eriperer, Poenis bellum indixit, noctes & dies misera oppugnor, conuellor, vror, vi, atque impreßione

euertor. Illa ego Melita quam triginta abhinc annis tuus pater rex & imperator liberalissimus pariter et augustissimus, diui Ioãnis militib. dedit, vt illi tantummodo procurationem haberent, ius & imperium eius penes te esset, obsidione vndique oppressa, in squalore, & lacrymis vitam ago, & in periculo sum, ne ibi sim, vbi esse debeam: quod ne fiat, in tua sola manu est. Vtinam reuiuisceres Carole Quinte non indigeres profecto hortatore, vt quàm posses maximis nauigationibus huc cum exercitu traijceres: sed tua sponte barbaris istis minacibus, & arrogantibus bellum inferres: Numidasq; illis scelere, & audacia finitimos hinc præcipites in Numidiam usque, vnde profecti sunt, cũ maximo suo malo summoueres. Vide audacter, & apertè nimium hæc dico rex, ne vt patri tuo pulcherrimum fuit, me his sacris nobilibusq; equitib. dare: sic tibi turpissimum sit, meum patrocinium deserere, & hostem inimicissimum tuis fortunis magis inhiantem, quàm meo excidio imminentem negligere. Per maiestatem imperij tui te obsecro, atque obtestor, per memoriam demortui Caroli patris, per spem surgentis Caroli filij, per amorem Christianæ religionis prouide iterum, atque iterum, ne per cessationem, moram, & tarditatem, amplius pericliter: Eripe

vitam ciuium a ferro: prohibe penates a flamma: protege vrbem a solitudine: defende agros a vastitate: serua pudicitiam virginum ab effrenata libidine barbarorum libera equites, & præfectum diui Ioannis a turpissima seruitute: tuere me denique vniuersam ab hoc inaudito prorsus & tristissimo genere calamitatis. Tuæ partes sunt hæ rex, tuæ maiestatis est, tuæq; pietatis, vt hæc mea mala non acerba, & luctuosa, sed plusquam acerba, et luctuosa, per te aliquando desinant, per tuam operam, laborem, & sapientiam aliquando recreer: & Sicilia, et Italia tanto incendio vicinæ, e faucibus tam acerbi fati liberentur. De tantis tuis in me meritis nulla vnquam posteritas conticescet, omni eloquentia, omni ingenij vi, omni vbertate orationis perpetuo celebrabuntur, alentur, & crescent. Si hæ Melitæ voces quicquam te mouent rex clementissime, quàm maximas potes copias arma: & eam quamprimum ab Asiana, Afraq; feritate miseram libera. Quis est qui non sentiat, non solum tui aduentus fama, verum etiam tuo solo nomine, & auctoritate hostium impetum, & petulantiam reprimi, atque retardari posse. Melitenses, & milites diui Ioannis Hierosolymitani ab hoste crudelissimo vndique obsessi, populati, atque indignissimè vexati, a te auxi-

lium implorant, supplicesq; rogant, & orant, vt se dignos existimes, quorum non iam commoda, & fortunas, sed vitam, salutemq; totius insululæ defendas. Per deum immortalem pro tua prudentia (quæ maxima est) negotium hoc paulisper apud te expende, re ipsa cognosces, si animum ad bellum induxeris, nihil esse quod possit impedire, quo minus ex animi tui sententia illud conficiatur. Habes arma, opes, præfectos, nauarchos, primipilos, signiferos, centuriones, ac milites fortissimos, imperatorem rei militaris (vt volebat Pausanias) peritissimum: classem rebus necessarijs instructam, occasionem rerum gerendarum opportunissimam: Vnum tibi timendum est, o rex ignosce quæso, si tua humanitate fretus, liberius quàm tuam decet maiestatem loquor: vnum inquam tibi timendum est, ne ad tuæ gloriæ plenitudinem confirmandam, atque stabiliendam, ipse tibi defuisse videare. Præterea delenda est tibi illa macula apud Meningem superiorib. annis suscepta: quæ adeo penitus insedit, atque obliuione obruta est, vt is qui intra paucos dies duos tuos duces, alterum classe, alterum castris exuit; non modo adhuc pœnam nullam suo dignam scelere dedit: sed tanta victoria elatus, adauctis copijs, ac ingenti classe comparata, vastat agros Melitensium, regionem populatur, præ

fectum diui Ioannis Hierosolymitani oppugnat, multosq; oppidanos, & milites præsidiarios truci dat. Romani viri omni laude dignissimi pro Ario barzane regno expulso, admodum graue, & periculosum bellum contra duos potẽtissimos reges, Mithridatem, & Tigranem susceperunt. Pro legatis iniuriosius tractatis, Corinthũ totius Achaię Metropolim, Græcarumq; vrbium lumen, disiectam, atque extinctam esse voluerunt. Propter socios, atq; amicos nulla ipsi iniuria lacessiti (vt apud Ciceronem legimus) cum Antiocho, cum Philippo, cũ Aetolis, cum Pœnis bella gesserũt. Tu bellum hoc ita necessarium, vt sit gerendum, ita magnum vt sit extimescendum, contra hostes tam feros, tam crudeles, tamq; nomini Christiano infestos non sumes? præsertim cum in eo non solum vectigalia, prædiorum fructus, & fortunæ Melitensium, sed religio, gloria, & nostra omnium salus agatur. Carthaginienses qui diu de imperio orbis cum populo Romano, vario ancipitiq; Marte certauere, Afris Lilybetanisq; acri obsidione obsessis subsidium misere: siquidem Hannibal Amilcaris filius decem hominum millibus quinquaginta triremib. quib. præerat, impositis: apud Busas insulas secundam auram nactus, passis velis portum ingressus, milites incolumes exposuit. eius cursum consules Romani qui cum du-

centis nauib. in proximo sinu erāt, neque impedierunt, neque cum eo prælio congredi ausi sunt. Pari audacia, & fclicitate Andreas Auria non solū recentiorum verum etiam veterum classis præfectorū maximus Corone (quod oppidum est in Peloponeso) terra mariq; vehemēter obsessæ succurrit : ac per mediam hostium classem ; quæ apud Acritem promontorium obuersis in altum proris longo ordine iuxta littus stabat, cursum adiuuantibus Etesiis tenens, in portum delatus est : prætcrq; omnium spem, & expectationem expositis subsidiarijs copijs, frumento, & reliquo commeatu, ad insulam Ticanusam venit : vnde cum e Methonensi portu hostes ad pugnam naualem elicere non posset : Messanam est reuersus. Tu rex cum habeas longarum, & onerariarum nauium classem haud contemnendam, præfectum maritimi belli scientissimum, trierarchos, classiarios, & propugnatores summa virtute, & prudētia, Melitæ quæ Syracusis(vt Diodorus Siculus non incelebris auctor ratione collegit) stadijs octoginta abest : opem, auxiliumq; ferre in tam necessario, difficiliq; tempore times: cum nullus præsertim metus ab hostium classe tibi immineat. Nam etsi duplo ampliore triremium numero quā tua est : magna tamē ex parte(vt exploratores referunt) volūtarijs remigib. seruisq; catenatis, quorū

opera ad remos vtitur, nudata est. multosq; ex naumachiariis, & bellatorib. in tot, tantisq; arcis diui Ermi oppugnationib. interfectos desiderat: nec in vna statione stat, nam vna statio tot naues sat commodè capere non potest: sed quid ego externa commemoro? cum habeam domestica, & magis propria. Pater tuus imperator, & rex diuinus potius, quàm humanus, expeditionem aduersus Algerium, olim Iubę regiam, a Romanis Cæsareã Iuliam vocatum, suscepit: vt illinc Asanagam bello insignem, & prędones Turcas qui totam oram maritimam Hispaniæ prædabantur, eijceret. Quod iam efficisset, nisi fatali quadam aduersorum ventorum coniuratione turbulentissimà coorta tempestas, classem diu feruenti æstu iactatam, littori illisisset, totumq; illud mare naufragiis, cadaueribusq; compleuisset. Tu vt Melitenses tuos, & præfectum, & milites diui Ioannis ab atrocissima obsidione eripias, tuisq; populis, & regnis pacem perpetuam parias: pugnam contra hostes tuas prouincias cæde atque incendio vastare cupientes, totamq; rem Christianam ad exitium, & vastitatem vocantes, detrectas. Pater tuus imperator, & rex nõ vt in terris natus, sed tanquam de cælo delapsus, vt Ariadenũ qui ab Aenea barba Barbarussæ cognomentum inuenit e Tunetano regno

eijceret, illudq; Muleaſſi antiquiſſimæ ſtirpis regi reſtitueret: incredibili celeritate, ac diligentia multarũ actuariarum et longarũ nauium claſſem inſtruxit. Tu vt e noſtris ceruicibus grauiſſimũ ſeruitutis iugum quod nobis (Melitam terra; mariq; immaniſſimis noſtræ religionis hoſtib. obſidentib.) imminet, depellas, claſſem e naualibus eductam, armatisq; epibatis atque reb. omnibus ornatiſſimam e portu ſoluere prohibes. Pater tuus rex, et imperator immortalitati, & cælo conſecrãdus, pro Chriſti religione tot martyrum interemptione ſtabilita: tot doctiſſimorum Theologorum ſcriptis illuſtrata: tot ſanctiſſimorum pontificum decretis communita: contra Germanos, gentem bellicoſiſſimam, & in armis exercitatiſſimam bellum admodum exitiale, & extimeſcẽdum ſuſcepit. Tu rex neq; rei militaris diſciplina, neque opib. illo inferior, pro eadem ipſa religione, qua hominum generi melius, præſtantius, ac maius a deo munus nullum eſt datum, nec vnquã dabitur: cum Turcis multitudine inermi, & neque natura, neque exercitatione robuſta, manus ſignaq; conferre formidas. Vide, rex cum bona tua venia hec dico, ne tibi turpe ſit ab inuictiſſimo tuo patre (cuius veſtigia ſequi debes) degenerare. At Pialis & Muſtaphas claſſis, & exercitus Solymani præfecti, quadraginta millia peditum

in castris habent, & numero triremium longè superiores sunt. Quid tum? num ista multitudine hominum, ac nauium, an virtute virorum, qui in eis sunt, metienda, diiudicandaq; existimas? Oues quidem multæ sunt, sed ab vno lupo deuorā tur omnes. An illis fortiores milites, ducesq; rei bellicæ disciplina perfectiores? Cui non nota virtus, & felicitas Garsiæ Toleti tuæ classis præfecti? quæ etsi in multis bellis enituit, in nullo tamen magis, quàm in Aphrodisiensi. Nam cum Aphrodisium (quod oppidum in Adrumentino sinu positum) valido Turcarum, atque Afrorum præsidio teneretur, multisq; operibus oppugnatū vehementissimè, nulla vi, nullaq; arte capi posset; machinam excogitauit: qua facile expugnatum est. eadem solertia, & felicitate Pinnonem arcē loco, & natura munitissimam (præciso enim vndique scopulo imposita, qui porrectus in mare pineæ nucis vnde nomen habet, formam efficit) ad tuum imperium adiunxit, aditumq; tibi ad occupandam Cæsaream Iuliam patefecit. Idem duas arces in faucibus bosphori Thraciÿ sitas æneis tormentis diuerberauit, Byzantiorumq; portum celeberrimum inspectante Turcarnm rege diripuit. Idem nauiculatores, ac negotiatores metu soluit, prædonibus qui vbique nostrum mare prædabantur, partim captis, partim interfectis. Age vero

nunc pauca audi(si tibi graue, & molestum non est) de eius industria, & diligentia. Cum tanta imminentis belli fama vereretur, ne Pialis & Mustaphas mandato tyranni cum summa belli potestate in Numidiam, ad occupandam arcem Guletam traijcerent, illuc ante nauigauit, vt ei de militib. re frumentaria, ceterisq; rebus belli vsui necessarijs, affatim prouideat: ne ingruente hoste, imprudens, imparataq; obrueretur: & quoniam Solymani mentem multis Mæandris, et Labyrintheis flexib. inuolutam satis perspectam non habebat, & de prouincia Sicilia vehementer dubitabat, Catinę, Cephaledi, Drepano, Lilybæo, Milis, Panormo, Thermis Hymerensib. reliquisq; vrbib. quæ in periculo esse videbantur, ne a barbaris improuisa, repentinaq; impressione diriperentur: firmissima præsidia imponit, singulisq; solertes, & diligentes præfectos præficit: vt validis operib. munitionibusq; breui ab illis firmatæ, ab omni hostium impetu tutæ redderentur. Ipse vbi remigib. & naumachiarijs triginta triremes quas e tota classe validissimas delegerat, compleuit, ac notæ virtutis propugnatores in singulas dispertijt, sumpta parte cibariorum, & reliquo comeatu, secunda noctis vigilia Messana soluit, ventisq; prosperè flantibus illius partis Siciliæ pelagus emensus, quod Syracusas, &

Lilybæum pertingit, Melitam peruenit, vbi ex consuetudine, honoris causa, inanibus æneorum tormentorum bombis displosis, vix e prætoria quatriremi scapha in littus se delatum animaduertit, cum ab equitibus antesignanis diui Ioannis Hierosolymitani qui ei officij causa obuiam processerant, perofficiosè, ac peramanter exceptus, ad magnum magistrum deductus est: quocum solo solus post mutuos complexus, salutemq; vltro citroq; dictam, in cubiculo multa de bello (vt credere par est) loquutus, cum tota classe in Numidiam, quò destinauerat, traiecit: portumq; ingressus, incredibili lætitia, a Guletæ arcis præfecto mira prudentia, sapientiaq; prædito acceptus, archestria militaria multis acutis lanceis instructa, ænea tormenta per muros in suis fenestellis miro ordine disposita, turres, & propugnacula suis firmata præsidijs recognouit. In armamentario balistas ad magnos lapides in hosteis iaciendos complures, arma, & tela omnium generum, magnam pilarum, & sulphurei pulueris vim, bellicarumq; machinarum ad disturbãdas hostium munitiones incredibilem apparatum inuenit. Laudat præfecti diligentiam, rebusq; futuræ oppugnationi necessarijs ordinatis, & militibus qui illic præsidio sunt relicti, admonitis, & priuatæ laudi, & Philippi regis glo

riæ vno eodemq; tempore prouideant, in Siciliam, ad suum munus, pensumq; reuersus est. Quid dicam de Ioanne Andrea Auria omnibus animi, corporis, & fortunæ muneribus adeo prædito, vt certissimis coniecturis colligere liceat, in naualib. pugnis longè clariorem, ac præstantiorẽ fore & Iannettino patre, cui similem nulla vnquam secula tulere, nec ferent: & Andrea patruo, quem ego omnib. præfectis maritimis sine controuersia præpono de Ascanio Corneo Italo et Aluaro Sandæo Hispano, duob. præstantissimis ducibus (vt de Carthagine dicere solebat Salustius) tacere satius esse duco, quàm pauca dicere. Ecquem vnquam hominem quisquam vidit, ecquem verè commemorare, aut producere potest consilio, ingenio, prudentia, grauitate, ceterisq; bellicis virtutib. Chiappino Vitellio parem? Si tuo exercitui præpositus erit, Turcicorum bellorum pericula a tuis fidelissimis, fortissimisq; socijs facilè propulsabit: Pompeius Columna tantis rerum præclarè gestarum ornamentis, militandiq; peritia præditus est, vt etiam his pessimis temporibus si ducem quem tuis copijs præficeres, inueni re neminem posses, omnium fortium atque optimorum virorũ consensu dignissimus reperiretur, qui tanti belli prouinciam gerendam susciperet. Sed o me immemorem, o me oblitum, Ioannem,

&

& Cæsarem Daualos Istonij Marchionis filios, disciplina bellica clarissimos penè omiserã, peracri consilio, singularíq; prudentia rem tuam plurimum adiuuabunt, & se tanto patre filios dignissimos præstabunt. Ecquis (nisi ingratus, & inuidus) Alfonsum Sancium Alfonsi Sancij iunioris, consiliarij collateralis, & primarij Neapolitani regni quæstoris filium tacitum relinquat? qui nondum duodeuiginti annos natus, ætatem virtute superans, veteranis tyro, viris adolescens, corporis virib. & animi magnitudine anteire videtur. Quantum de eius spectatissima indole sperandum sit, hinc facile apparet, quod in hastata concursatione, quæ ad areolam diui Dominici tota spectante Neapoli dieb. Bacchanalib. celebrata est, omnium maximus fuit iudicatus, & ab ipsis brabeutis huiusmodi certaminum peritissimis in virtutis, & victoriæ testimonium, anulo aureo donatus est. Noli ergo rex inuictissime rudem, et & inconditam Turcarum multitudinem extimescere: in quam si vndique vno tempore impressionem feceris, sine dubio certissimam victoriam reportabis. Romani milites quotiescunque cum huiusmodi nationibus erant præliaturi, non quot essent, sed vbi essent, solebant percunctari. Nec alia ratione apud historiarum scriptores legimus, imperatorum ingenio, & diligentia, maximos

exercitus modicis copijs fusos, atque internecioni datos: Euripides Tragicorum maximus vnicum tectum consilium, vnumq; hominem rei militaris peritum, & in bello non mediocriter versatum, magnam militum manum vincere, memoriæ prodidit. Sint in re militari admodum clari Lysander, & Sylla: quod alter Antiocho mariti ma pugna superato, captisque Athenis: muros, Piræumq; modulantib. tibijs, diruerit. Alter quod Mithridatem Asiam, Paphlagoniamq; re linquere, Bythiniamq; Nicomedi: Cappadociam Ariobarzani tradere coegerit. Sit omni laude cumulatus Cæsar, quod vniuersa Gallia subacta, Germanis, & Britannis perdomitis, bellisq; ciui lib. confectis, rerum potitus sit. Vehatur in cælũ Pompeius, quod infra quadraginta dies (piratis impio latrocinio exultantib. dissipatis, fugatisq;) mare Tyrrhenum, Lbiycum, Sardoum, Cyrneũ, atque Siculum expurgauerit. Admirentur multi Cyrum, quod Persis adiuuantib. Medis imperium abstulerit. Nulla vnquam ætas taceat Euagoram Cyprium, quod Salaminam nouã quã Artaxerxes multis copijs expugnare non potuit: quinquaginta socijs quos secum duxerat, occupauerit.. Sit in æterna gloria Carolus Quintus, (vt interdum de recentiorib. imperatorib. verba faciam.) quod Turcarum Tyrannum potentissi-

mum traiecto Istro, Pannoniam innumerabilib. copijs deuastantem, e Viennæ mœnib. quæ omnib. machinis bellicis vehementissimè oppugnabat, reiecerit, tantiq; belli periculum e ceruicib. Germaniæ depulerit. Magno præconio a rerum gestarū scriptorib. anteponeris (mihi crede) Philippe omnib. si Turcis nobis infestissimis nauali, terrestriq; prælio victis, Melitam e cuius incolumitate totius Europæ salus, & Reipub. Christianæ dignitas pendet, tanta mole mali liberaueris, orisq; maritimis, & nautis securitatem pepereris. Sed quoniam facile intelligo, te non meis rationib. & argumentis, quæ admodum infirma, & imbecilla sunt, sed honestate sola hortante, in animum induxisse; hoc bellum contra Turcas suscipere, nostrisq; laborantib. præsidia summitere, dum delectum in tuis regnis habes, et de traijciendo in Melitam exercitu cogitas. Nos interea laudib. milites diui Ioannis, & Melitenses ad cælum feramus: qui tot menses sine vlla externa ope, & subsidio, tam grauem pressamq; obsidionē tolerāt, murosq; arietib. pilisq; tormētarijs disiectos (in subeuntes incensis sclopettis glādium procellam, meteriamq; incendiariam effundentes) ab impetu, & impressione infestissimæ gentis viriliter defendunt. Quotiescunq; est opus, hostium cuniculis transuersis cuniculis obuiam

eunt, nec solum illorum operam, et laborem ludi ficantur, verum etiam multos in huiusmodi certaminib, interficiunt. Sæpe eruptione facta, in rapidissimi torrentis morem in barbaros impetum faciunt: quos imparatos, atque inopinantes nullo negotio fundunt, fusosq; persequuntur: e fugientib. partim capiunt, partim trucidãt, victoresq; multa signa militaria signiferis erepta ad vrbem ferunt. Ipse vero nobilis, sacræq; militiæ magnus magister cũ hostis vicissim in vrbem ingenti suæ patriæ more vlulatu irrumpere conatur: scorteo thorace pectore munito, capiteq; minaci galea tecto, primus ad muros venit, dexteraq; acutũ gladium stringens, clypeumq; sinistra ad excipiendos ictus obijciens, fortem, & murificum agit imperatorem: nec si quid alicui negotij dat, confectum putat, ipse expedit, occurrit, vigilat, laborat, sitim, famem, æstum (qui in ea insula intulerabilis est) perfert, circumit, hortatur, monet, animos firmat, metum minuit, spem auget, alijsq; acriter pugnandi incitamentis, omnia præstantissimi ducis munia obit: vt sperare liceat hoc viuo, & sospite, vrbem in potestatem hostium nunquam venturam, quod Deus Optimus Maximus faxit.

MELITAE OBSESSAE APVD Proceres Christianos conquestio.

SVM Melite infelix terraq;, obsessa mariq;,
Sum Melite Othomano præda relicta truci:
Hei mihi quem regum nostra infortunia tangunt?
Hei mihi quis procerum vulnera nostra dolet?
Gallus opem non fert: non fert Germanus: Iberos
Auxilia aspicio lenta parare mihi:
Non mihi succurrunt Veneti: non Martia Roma:
Nec pro me fortis Theutonus arma capit:
Quis letho eripiet? si diuus vota Ioannes
Negligit? & surda respuit aure preces?
Excidium iam cerno meum, iam cerno ruinam,
Aut igne, aut ferro mœnia nostra ruent.
Turca ferox arcem fundo deiecit ab imo:
Tormentisq; vrbem nocte dieq; quatit:
Si capiet, Venetus frustrà me flebit ademptam,
Sentiet & cladem Roma superba suam:
Gallus, & Hispanus, rex bello insignis vterque
Non poterunt populis imperitare suis:
Parthenope pendet victori victa tributum:
Seruitio discet Trinacris ora premi:
Omnia turbabunt quæ pulsant ære triremes
Aequora: qui posthac nauiget vllus erit?
Currite Christicolæ concordi pectore reges,
Sæuaq; fulminea bella mouete manu:

Et dum fata sinunt, nostris e finibus hosteis
Pellite, et in medio mergite transtra mari:
Si mihi non vultis succurrere ad ima ruenti,
Nec vos hæc facies tam miseranda mouet:
Vestra precor moueat vos damna, et cernite q̃so,
Ne quoque vos secum nostra ruina trahat:
Nanque suo arbitrio toto quæ regnat in orbe
Fortuna, hic certum nescit habere modum.

AD REGEM PHILIPPVM.

Austriade regum cunctorum summe Philippe
Castra moue, et leuibus lintea pande notis:
Post captas Solymas, Rhodios post Turca subactos,
Et post in Libyco parta trophæa mari,
Trinacriæ insultans pelago, Austriacasq; phalanges,
Et summi temnens numinis arma tui,
Bis centum puppes Melitæas duxit in oras,
Atque armatorum millia multa virum:
Scilicet affectat Siculis dominarier aruis,
Et magnæ Hesperiæ subdere colla iugo:
Et faciet, si tu tardabis mittere classem,
Quæ eripiat socios obsidione tuos:
Arx diui est Ermi penè expugnata cruento
Marte, & penè vrit barbarus ignis opes:
Vidit pro muris genetrix occumbere natos,
Consortemq; tori mæsta marita gemit.

Strage equitum, peditumq; madet iã terra nec
Ciues tot pessunt millibus esse pares: (vltrà
Quid stas? rumpe moram mersabis in æquore
Hostilem: vires Mars animũq; dabit. (classẽ

DE TVRCIS A MELITA FVGATIS.

Nunc Deo grates sine fine agendæ
Omnibus, motus prece qui fugauit
Nostra ab excelsæ Melitæ ferocem
Mœnibus hostem:
Nauigat tutus Siculis in vndis
Mauta, Garsiam recinens sub alta
Puppe Toletum, simul & Bootem,
Seruat & Arcton:
In suis agris Melitæus agnos
Pascit, & fruges serit in paternis
Prædijs, ad quæ Solymanus ante
Castra locarat,
Virgines sanctæ, pueriq; casti
Pace iam terra, pelagoq; parta,
Ore ter pleno super astra lætas
Tollite voces:
Mista longæuis senibus iuuentus
Lampadas gestet tepidas ad aras,
Et leucis plaudens pedibus coboreas,
Carmina dicat.

Hostias mactet populus, focisq;
Tura det sacris, timor est in hosteis
Versus inuisos: nihil est timendum
Rege Philippo.
Digna lux Thracum niueo lapillo
Vna quæ nobis bona tot dedisti,
Te meis cæli numeris vocabo
Semper ad astra:
Gaudio per te Melite triumphat,
Italos effert animos voluptas;
Gratia Sicanis, simul & serena
Omnibus orta es.
Turca bis centum Melitæ carinis
Littus impleuit pede qui sinistro,
Bosphorum Thraces petijt cruentis
Victus in armis:
Quas ab Aegypto iuuenum phalanges
Traxit, ac fortes Asia cateruas
Terga verterunt: bona pars corusco
Ense recisa est.
Insulæ cunctam populatus oram
Classe, flagranteis minabatur igneis
Oppido; & ciues miseros premebat
Obsidione:
Ecce Garsias animosus heros,
Fortis, & felix, Borea secundo
Hostibus cinctam peditum cohortes

Vexit ad vrbem;
Sospes vt terram tetigit iuuentus,
Crathidis flauæ ruit instar vndæ;
Dat graueis fuso iugulatus hostis
Sanguine pœnas.
Maior in pontum data pars propinquum,
Tracta pars tergo est manibus reuinctis;
Pars humum tectis procul a paternis
Ore momordit.
Aspicis præses valeat quid vnus?
Dux bonus quantum iuuet vnus? acer
Miles & quantum bene præparatus
Possit in armis?
Vatibus doctis, & amica Phœbo
Grandius dicta mihi Musa carmen,
Laude quod possit comitante cunctas
Visere terras.
Barbaros bello domiturus hosteis
Arma Garsia duce Rex Philippus
Apparet: Turcis spolia ampla cernet
Marte subactis.
Aurifer fuluas Tage volue arenas,
Sub tua current ditione Orontes,
Hebrus, & Tigris, tumidiq; septem
Hostia Nili:
Seruiet Maurus vetus hostis oræ
Italæ, Meninx sceleris datura est

Debitas pœnas, Tripolim cremabit
Ignis Iberus.
Deniq; insignis peetate, & armis
Cuncta Garsias domitabit vnus
Oppida, & reges, populosq; regum
Perdet & vrbeis.

AD ALFONSVM SANCIVM Alfonsi Sancij Iunioris, primarij Neapolitani Regni Quæstoris, & Consiliarij Collateralis filium.

Hostis æterni Solymane Christi,
Nominis nostri, fideiq; sanctæ,
Mitte Sebetho, Tyberi, Tagoq;
Vincla minari:
Quas tibi Aegyptus peditum cohortes
Misit & turmas furiosa Thrace,
Cædet Alfonsus rigido tremendus
Sancius ense:
Aequat heroas pietate, & armis,
Siue eques fertur medios per hosteis,
Seu per obstanteis pedes it cateruas
Cuspide pugnax:
Classis iratis populata diuis
Littus, & campos Melitæ potentis,
Debitas pœnas dabit in propinquo
Mersa profundo:

Cerno diuulsas humeris pharetras,
Cerno direptos clypeos sinistris;
Dexteris aptos gladios, ducesq;
Marte subactos.
Noster hoc tanto duce rex Philippus
Iura brachatis dabit æqua Medis,
Et Schytas, Dacos, Arabas, Getasq;
Iunget Iberis.
Da puer vati citharam canoram,
Carmen vt dicat, quod in omne viuat
Tempus: & totum volitet per orbem,
Aureaq; astra.

AD IANVM CAESARIVM CONSENtinum præceptorem suum.

Dulce Musarum decus, & voluptas
Iane præclara sate stirpe auorum,
Sponte miserunt mihi docta multi
Carmina vates:
Digna sed dici medio in theatro
Nuper optanti mihi quæ dedisti,
Ceteris multo meliora nobis
Visa fuere:
His lupos possem, rabidasq; tigreis
Ducere, & cursum Ligeris morari,
Ac truces sæuæ Lachesis sorores
Reddere mites:

Hinc tuum nomen super astra tollam,
Et tibi grates meritas habebo,
Mente dum sana reget hos valenteis
Spiritus artus.
Crathidis Nymphæ pia turba Phœbi.
Si choros vestros potiore plectro
Cantat, in Syla redimite frontem
floribus ortis:
Cinctus vt crineis rutila corolla,
Altius classem resonet Philippi
Regis instructam Siculis ab vndis
Pellere Turcas:
Nanque rex ingens Asiæ, potentis
Imminens regno Italiæ, & Triquetræ,
Curua bis centum Melitæ carinis
Littora texit.

EQVITVM CAESORVM TVMVLVS.

Qui bellum sancta pro religione gerentes
Hostis fregerunt arma, minasq; sui;
Viribus hanc summis pugnando et robore palmã
Concordes equites præposuere sibi:
Lethifera oppetere egregiam per vulnera mortẽ
Ante: hosti quàm se dedere velle truci.
Pro tanto hoc illis merito, tantoq; labore,
Iuppiter Elysium donat habere nemus.

AD GARSIAM TOLETVM Regiæ classis præfectum, & Siciliæ præsidem.

Quæ mora Garsia in Siculis te detinet oris,
Ne miseræ venias auxilio Melitæ ?
Si tota Austriadæ instrúcta est hoc tēpore classis:
Turca potest nulla sæuus abire fuga.
Solue rates, tibi certa satis victoria fulget:
Fatidici vates omnia læta canunt.
Auspicijs nostri regis tantum aspera bello
Gens nulla est: quam tu non superare queas.

AD PHILIPVM HISPANIArum Regem.

Cæsaris Austriadę proles animosa Philippe
Qui sanctæ fidei tutor es, atque decus:
Cur sinis Eoo qui regnat in orbe Tyranum
Innumera pelagus findere classe tuum ?
Dirus Turca sacros equites, equitumq; magistrū
Oppugnat: Melitæ vastat & vrit agros.
Si te tot tangunt Melitensia funera: si te
Rex tot terra mouet strata cadaueribus,
Affer opem, potis es quoniā, duce et auspice forti
Garsia vinces: Parthica & arma premes.